DE MINISTRIS CUBICULI

IN HOSPITIO REGIS CAROLI QUINTI

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

H. LEMONNIER

Scholæ Chartarum olim alumnus, Doctor in jure.

PARIS

LIBRAIRIE HACHETTE ET C^{ie}

79, BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

1887

DE
MINISTRIS CUBICULI
IN HOSPITIO REGIS CAROLI QUINTI

Coulommiers. — Imp. P. Brodard et Gallois.

DE
MINISTRIS CUBICULI
IN HOSPITIO REGIS CAROLI QUINTI

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

H. LEMONNIER

Scholæ Chartarum olim alumnus, Doctor in jure.

PARIS

LIBRAIRIE HACHETTE ET C^{ie}

79, BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

1887

MEMORIÆ

SOCERI MEI G. LESAGE

PROŒMIUM

Regalis Hospitii, quod et Domus regia postea vocatum est, historia etiamnunc nec vulgata est nec omnino explanata; quin etiam verbum ipsum Hospitium nescio an nonnullis ambigue sonet.

Rebus tamen hujuscemodi qui studebit operæ pretium percipiet, etsi videatur ab illis quæ publica negotia dicuntur desciscere : nempe, omisso quod Domus regia non adeo proprium aliquid et separatum est, eadem optime exprimitur quam personam reges nostri egerint, singularem inter omnes majestatis potestatisque imaginem vitæ cultu et habitu proferentes. Quis Franciscum Primum aut Ludovicum Quartum decimum plane et intime cognitos arbitretur, nisi Domum ab illis compositam, aulamque in qua tanto apparatu vixerunt introspexerit? Quibus Carolum Quintum addi æquius sane videbitur.

Hæc præter, Hospitii historia quiddam adjicitur moribus, litteris, artibus dignoscendis, iis scilicet quæ ad exquisitiora humanitatis studia attinent.

Quod si Caroli Quinti nomen huic libello præscribitur, nec mihi nec lectori ulli in animum veniet quidquam novum incipiente hoc regno revera incepisse, desinente desiisse, aut magnificentiæ laudem soli Carolo deberi,

patri et filio denegatam, quibus contra regnantibus, non modo mira luxus cupido, sed artium cultura eximiis operibus manifestata est. Cum vero necesse haberem summam rerum in unum cogere, quo clarius significarentur, Carolum Quintum, ut qui insignius Johanne, rectius Carolo Sexto negotia gubernaverit, elegi, omnia ad normam magis aptata hic experturus.

Quanquam multa perierunt ex his quæ ad Carolum Quintum spectant, aliqua tamen obversatur documentorum copia : rationes nonnullas Hospitii aut Argentariæ, regnantibus Johanne II et Carolo VI conscriptas, divulgavit Douët d'Arcq, idem de Domo regali quædam disseruit; nemo autem amplius de his qui Carolum V tractant meruit, quam doctissimus vir L. Delisle, dum circiter duo millia documentorum armariis tamdiu abditorum in lucem protulit; quibus addam S. Luce, qui expectatissimam illam Johannis Froissart editionem ad annum 1370 adduxit, summa documentorum ope locupletatam.

Nemo me nugarum arguet, si quando negotiolis, ut videtur, studentem deprehendat : quare enim in historia nostra, in qua tam multa quasi umbra et caligine obcæcantur, id ipsum dedignemur, quod in græca vel romana tanta diligentia consectamur? Hoc insuper, meminerit legens quisque, me illud præsertim in animo habuisse, ut primum res nudas, testantis instar, non causam agentis, explicarem, quibus demum collectis et cuicumque in promptu positis, argumentum ex sententia mea concluderem.

Operis ratio hæc fuit ordoque : primum generalia quædam de Hospitio evolvere, dein de Cubiculo ipso regis, ministrisque in eo institutis, quid domestici in hoc agerent, qualem personam privatim aut publice gerentes, paulo fusius ac latius disputare.

Multum abest quin omnia aut exploraverim aut dilucidaverim, viam potius ingressus quam emensus. Nam, non omnino neglectis quæ adhuc inedita sunt, illis præsertim usus sum quæ typis jam mandata inveni, ea scilicet mente ut vaga et dispersa documenta in unum a me coacta adhiberem. Nonnulla præterea eorum officiorum quæ Hospitium sibi vindicaret consulto omisi, vel quia illis peculiare aliquid inerat, Confessores nempe Eleemosynariosque et Capellanos dico, vel quia minutissimis in rebus obversabantur, vel quia extra Hospitii domesticas curas revera agebant, ut magistri Requestarum Hospitii similesque nonnulli. Adde me argumentum meum intra certos temporis fines coercuisse, ita ut quæ de Carolo affirmare ausim, de ceteris liceret suspicari.

Delineatum ergo opus adumbratumque magis quam absolutum informavi; quod qualecumque sit, magni æstimem si quid inde Caroli Quinti vel paululum notitiæ accedat.

NOTARUM EXPLANATIO

Mand. 525. — Mandements et divers actes de Charles V, publiés par L. Delisle, n° 525.

Inv. — Inventaire du mobilier de Charles V, publié par Jules Labarte.

Anselme. — Histoire généalogique de la maison de France.

Martène, col. 1352. — Thesaurus novus anecdotorum, ad paginas 1352 et seq., e quo, ut facilius ea percenseatur, ordinationem Hospitii anni 1317 retuli, quamvis non sine mendis rescriptam.

Livr. des mest. — Le livre des métiers d'Étienne Boileau, publié par René de Lespinasse et François Bonnardot (Histoire générale de Paris).

B. Éc. Ch. — Bibliothèque de l'École des Chartes, t. I—XLVII.

Soc. hist. Par. — Mémoires de la Société de l'Histoire de Paris et de l'Ile-de-France.

Chr. de Pis. — Le livre des fais et bonnes meurs du sage roy Charles V, par Cristine de Pizan, Damoiselle (éd. Michaud et Poujoulat).

Gr. Chron. — Les Grandes Chroniques de France..., publiées par Paulin Paris.

Eust. Deschamps. — Œuvres complètes d'Eustache Deschamps, publiées par le marquis de Queux de Saint-Hilaire, t. I—IV.

Froissart, t. II, p. 300. — Œuvres de Froissart, publiées par S. Luce.

Froissart, B, I, ii, § 325. — Œuvres de Froissart, publiées par Buchon (le Panthéon littéraire).

Bibl. nat., *fr.*, 2813. — Bibliothèque nationale, manuscrits français.

Bibl. nat., *lat.*, 12814. — Bibliothèque nationale, manuscrits latins.

Arch. — Archives nationales.

Cart. des r. — Inventaire des cartons des rois (Archives).

Invent. des titres et docum., etc. — Inventaire des titres de la maison ducale de Bourbon (Archives).

INDEX OPERUM HIC LAUDATORUM

QUÆ CURANTE SOCIETATE HISTORIÆ GALLICÆ EDITA SUNT

Comptes de l'Hôtel des rois de France aux XIVe et XVe siècles, publiés par Douët d'Arcq.

Comptes de l'Argenterie des rois de France au XIVe siècle (Douët d'Arcq).

Nouveau recueil de Comptes de l'Argenterie des rois de France (Douët d'Arcq).

Œuvres de Rigord et de Guillaume Le Breton (Fr. Delaborde).

Histoire de saint Louis par Joinville (N. de Wailly).

Chronique latine de Guillaume de Nangis, etc... (H. Géraud).

Chronique des quatre premiers Valois (S. Luce).

Chronique normande du XIVe siècle (A. et É. Molinier).

Chroniques de J. Froissart (S. Luce), t. I—VII.

Chronique du bon duc Loys de Bourbon (Beaune et d'Arbaumont).

Recueil de pièces inédites du règne de Charles VI (Douët d'Arcq).

Journal de Nicolas de Baye (Tuetey).

Chronique de Le Fèvre de St-Rémy (F. Morand).

Mémoires d'Olivier de La Marche (H. Beaune et d'Arbaumont).

N. B. — Ubi leges p. 525, paginam quære, ubi 39, numerum.

DE

MINISTRIS CUBICULI

IN HOSPITIO REGIS CAROLI QUINTI

CAPUT PRIMUM

DE HOSPITII HISTORIA ANTE CAROLI QUINTI ÆTATEM

---

§ 1. — Qua ratione Hospitium primo constiterit.

Hospitium regale [1], si de Merovingis et Carolingis agitur, nihil proprium aut peculiare diu habuit, quo tempore

1. Verbum illud Hospitium (gallice Hostel) plura in se continet, quantum de medio ævo agitur. Ita enim designantur : 1° Domus habitationi aptata; 2° stipatio eorum qui nobili cuidam viro vel regi quasi comitatus vinculo adjuncti degunt; 3° servitia et officia quæ vitæ privatæ domestico more accommodantur. Vide Littré, v° *Hôtel; Mandements et Actes de Charles V*, 1671 : Hostel de Beauté sur Marne, 1712 : Ostel des religieux de Sainte Catherine; 989 : en nostre hostel du boys de Vincennes; — *Chron. du bon duc Loys de Bourbon*, p. 272 : Tenoit lors le duc grant tinel à Paris en son hostel de Bourbon; — *Gr. Chron.*, t. VI, p. 221 : Fit ordenances des gens de son hostel et de la chambre des comptes; — *Chron. du bon duc*, p. 153 : Vous êtes six cens hommes d'armes et j'en ai autres six cens de mon hostel; p. 107 : Cent gentilshommes chevaliers et escuiers de son hostel; — *Mand.*, p. I, VIII, IX : Hospitium regis; — Froissart, t. IV, p. 27 : Vous retieng escuier de mon corps et de mon hostel; — *Mand.*, 1773, 1819 : L'estat et hostel de nostre nepveu;

cum regni administratione permixte implicabatur, ut, quæ privatim ad regem, publice ad regnum pertinebant, iisdem ministris eodem titulo committerentur.

Eam rationem secuti, domum Carolingorum primi Capetii continuavere [1], quorum Hospitio præerant Senescallus, qui et Dapifer vocabatur, Buticularius, qui et Pincerna vel Scancionarius, Camerarius, Cancellarius denique, subeuntibus inferioribus ministris, ita tamen ut omnium nec ordo, nec numerus, nec munia definirentur, et quisque publica negotia non minus quam domestica curaret. Unde, exempli gratia, acta regia subscribebant, in curia, judices vel consiliarii, sedebant, Senescallo, ut alios omittam, quasi personam Majoris Domus gerente, tum mensæ impendente operam, tum exercitus summum imperium usurpante, necnon juris reddendi provinciam cum Cancellario communicante [2].

Plurimum ergo auctoritatis addebatur muneribus illis, quorum possessores hereditarium jus, eadem scilicet feudis æquiparantes, affectaverunt, quod quidem nonnullis prospere cessit [3].

1956 : Que toutes nos debtes et par especial pour la despense de nostre hostel et de feue nostre compagne la royne soient promptement payez; — Douët d'Arcq, *Comptes de l'Hôtel des rois de France*, p. 1 : C'est le compte des despens de l'ostel le roy Charles; Froissart, t. IV, p. 91 : Une nef que on appelloit la sale dou roy où tous ses hostelz estoit. — Nota castellum semper ab hospitio distingui (*Inventaire du mobilier de Charles V*, p. 1) : Tant en ses chasteaulx de Meleun sur Seyne, du boys de Vincennes...., de ses hostelz de Saint Pol à Paris, de Beaulté sur Marne. Conf. *Mandements et Actes*..., passim.

1. Vide Luchaire, *Étude sur les institutions monarchiques*....., t. I, p. 159 et seq.

2. Luchaire, t. I, p. 175; Anselme, *Histoire généalogique de la maison de France*, t. IV, p. 328-330.

3. Luchaire, append., vii.

Tribus autem causis res mutatæ, Hospitiumque paulatim ab imperio et administratione separatum est :

1° Graves regibus pertimescendique visi sunt nobiles viri tantis dignitatibus aucti;

2° Crescentibus auctoritate et potentia Capetianis regibus, necesse erat rebus interfuturi et imperium capessituri munera nova, instrumentorum in modum, crearent, quibus ad publice agendum uterentur;

3° Amplificatis simul regum facultatibus opibusque ac majestate, vita eorum privata ad apparatum conversa est, domusque in majus dilatata.

Quæ cum ita essent, ad id adducti sunt reges ut summa officia Hospitii aut minuerent, aut etiam abolerent, aut demum, facto privatorum publicorumque negotiorum discrimine, terminarent. Quid plura? Dapiferi nonnisi nudus titulus tredecimo sæculo invenitur, Camerarii auctoritas evanuit, vacat Cancellaria [1], dum contra Constabularius militarium rerum curam, domestica stabuli opera magis ac magis derelicta, adipiscitur.

Eodem vero tempore, nonnulli e famulis istis, qui diutius inferiori in statu permanserant, in locum primatium ascendebant : hos inter Cambellani (quos cum Camerario ne permisceas), item Scancionarii, electi olim inter homines obscuræ originis, nunc autem viri ampliores, utpote qui principibus propius accederent. Effectum est denuo ut nova ministeria hinc et illinc, cum in Regno, tum in Hospitio crearentur, aut in lucem emergerent tituli adhuc insolentes, quales fuere Magistri Hospitii vel Scutiferiæ, qui Dapiferi et Constabularii partes, domesticas

1. De his omnibus conf. DELISLE, *Catalogue des actes de Philippe Auguste*. Introduction.

quidem, suscepere; quibus omnibus prodeuntibus, res, cardine, ut ita dicam, verso, ad nova deflexerunt.

§ 2. — A Ludovico sancto ad Carolum Quintum.

Regnante Ludovico Nono, jam plurima documenta in promptu sunt, licetque, etiamsi pleraque de minutissimis rebus singillatim loquantur, dignoscere quibus elementis paulatim coalescentibus constitutum fuerit Hospitium, et quantopere accreverit. Proferetur in primis Computus anni 1234 [1] in quo emptiones pro rege et domo, nominaque Cambellanorum, Venatorum, Hostiariorum enumerantur, et quædam de accipiendis expendendisque nummis significantur. Personæ regis Hospitium ita adhæret, ut eum, quocumque iter facientem, sequatur. Ludovico scilicet in Ægypto et in Palæstina bellum gerente, inest rationibus anni 1250-1251 hic titulus : « Despens de l'hostel du roy S. Loys et de la royne estans oultre mer », discernunturque plus minus accurate Hospitii bellique aut rei navalis sumptus [2].

Qualis fuerit annuæ impensæ summa, ex anno 1256-1257 æstimaveris, conjecturæ tamen in modum, cum extraordinaria quædam, nec ad domum proprie spectantia, in rationibus sæpe reponebantur [3].

Prima nobis innotescit ordinatio Hospitii, anno 1261 facta, in qua componuntur res jam ante hoc tempus insti-

1. Histor. de Fr., t. XXI, p. 226. — Vide etiam : Id., p. 251 (Computum anni 1238); Id., t. XXII, p. 583-615 (Comp. anni 1239); Bibl. de l'Éc. des Ch., t. XIV, p. 27 et seq.

2. Histor. de Fr., t. XXI, p. 513.

3. Histor. de Fr., t. XXI, p. liv, lxvii. — Vide etiam Johannis Sarraceni ceratas tabulas, Id., p. 284.

tutæ [1]. Hoc in documento occurrunt sex Ministeria (gallice : les six mestiers de l'Hostel) : Panetaria, Scancionaria, Coquina, Fructuaria, Scutiferia, Forraria; in hoc quoque domesticorum munerum index quidam inscribitur [2]. Hæc inter :

1° Cambellani quatuor, nonnulli Valleti Cameræ, Tonsor unus, aliique similes;

2° Magister unus Panetariorum, nonnulli Panetarii, clericus unus agens in Panetaria;

3° Magister Scancionariorum unus, nonnulli Scancionarii, clerici duo in Scancionaria agentes;

4° Tres Coqui aliique similes, Eleemosynarius unus, clericus unus Coquinæ;

5° Fructuarius unus;

6° Plurimi Scutiferi et Marescalli;

7° Forrarii duo et quinque Valleti.

Sequuntur Capellanus unus cum clericis, plurimi Hostiarii, dispensatores in Camera denariorum agentes, aliique nonnulli.

Inde ergo constituebatur regale Hospitium, cum sex illis Ministeriis, quæ quasi ipsius principium et fontem non male quis vocet, dum tamen in his totum stetisse Hospitium non arbitretur, cum prætermissi fuerint in isto indice quidam famuli et domestici, aut nobiles viri comitatus vinculo regi conjuncti, nullo autem vel titulo vel munere peculiari adstricti, in aula degentes.

Argumento erit libellus iste [3], quo milites commemo-

1. Cf. Hist. de Fr., t. XXI, p. 288 et seq. : In his Computis jam apparent sex ministeria et secernuntur impensæ quæ in vadiis (gallice : gages) et in emptionibus consistunt. — Vide quoque Ludwig, *Reliquiæ manuscriptorum*, t. XII, passim.

2. Douët d'Arcq, *Comptes de l'Hôtel...*, p. x et seq.; Arch. JJ, 57, f° 20.

3. Hist. de France, t. XX, p. 305, 308. Cf. Id., XXIII, p. 732 et

rantur regem in itinere ad Tunetem secuturi, non minus quam centum et viginti, quos inter quidam officium domesticum exercebant, discretis iis qui in domo regali aut extra domum essent cœnaturi [1]. Item, omissis Petri de Condeto ceratis tabulis [2], proficiet ad discernendos milites aliosve viros, regi in Hospitio aut extra Hospitium servientes, libellus quidam quo impensæ belli Aragonici explicantur sub hoc titulo : « L'abregement des despens faiz en la voye d'Aragon [3] ».

Qui de impensis quærit, is diligentius perlustret thesauri in Lupara servati rationem anno 1296 exhibitam [4], quippe quæ de tribus Hospitiis regis, reginæ puerorumque tractet, nec non tabulas ceratas annorum 1301, 1304, 1307, 1308, ubi quoque nonnulli agentium in domo regia

seq. Vide inter alia : Arch., K., 1713, n° 1, p. 53 et seq. (In ordinatione Hospitii reginæ anni 1326) : ce sont les personnes de l'Hôtel la Royne hors les mestiers.

1. Invenitur aliquando hæc mentio : Mengeront a court ou à l'hostel le roy. — Notandum est res ad Ludovici Sancti ætatem memoria posterorum aliquoties revocatas esse : jussisse, anno 1333, Philippum Sextum mandata omnia quibus, inde a Ludovico IX, Hospitium ordinatum fuerat, revisi ; eumdem Ludovicum in primis protulisse commentarii cujusdam auctorem, quindecimo sæculo scripti, dum exempla domus regiæ recte ordinandæ proponeret. (Bibl. de l'Éc. des Ch., t. XXVII, p. 139.)

2. Histor. de Fr., t. XXII, p. 430. Quinque in his rationibus ministeria evolvuntur, quibus accedit in adversa codicis parte Panetaria.

3. Histor. de Fr., t. XXI, p. 515 et seq. : Gages des chevaliers de l'Hostel : 170 000 l. t. ; gages des chevaliers qui n'estoient pas de l'Hostel : 109 000 l. t. — Id., t. XXII, p. 672 et seq.

4. Bibl. de l'Éc. des Ch., t. XLV, p. 238 et seq. : Ex quo demonstrat Julianus Havet regales dispensatores quoque anno bis ad calculos venisse, et partim errasse doctum virum Boutaric, dum nummos tantum publicis negotiis servatos in Lupara depositos fuisse asserebat. Ibidem quædam opera exstruendarum reficiendarumque ædium impensis Hospitii adscripta fuisse comperitur.

catalogi evolvuntur [1], de quibus quoque monet testamentum Ludovici Decimi familiaribus suis legata largientis [2].

Eadem vero ætate multiplicantur præscripta de Hospitio ordinando, ex quibus notabuntur :

Ordinatio anni 1286 [3].

Ordinatio anni 1291 [4].

Ordinatio anni 1314.

Ordinatio anni 1316.

Ordinatio anni 1317 [5].

Ordinatio anni 1318 [6].

Ordinatio anni 1322 (de Hospitio reginæ) [7].

Ordinatio anni 1350 [8].

Ordinatio anni 1359-1360 [9].

1. Histor. de Fr., t. XXII, p. 501 et seq.
2. *Nouv. comptes de l'Arg.*, p. vi.
3. Arch., JJ. 57, f° 1, aut Bibl. Nat., *lat.* 12814, f° 61.
4. Quibus ordinationibus nullum signum hic additur, eas in JJ, 57 invenies.
5. Arch., JJ, 57, aut Martène, *Thesaur. anecd.*, t. I, col. 1352 et seq.
6. Ordonn., t. I, p. 656, ubi quædam de Hospitio indicantur.
7. Ordonn., t. I, p. 808, aut d'Achery, *Spicileg.*, t. III, p. 711.
8. Arch., P, 2292. p. 223.
9. Ordonn., t. III, p. 385. Adde ordinationes, Carolo sexto regnante, annis 1387 et 1388 compositas (Godefroy. *Histoire de Charles VI*, p. 708, 716).

CAPUT II

QUÆ ORDINATIO HOSPITII FUERIT, CAROLO QUINTO REGNANTE

§ 1. — De Caroli Quinti indole et moribus.

Ubi ad res ipsas acceditur, non de ordinationibus solum et de mandatis ad Hospitium pertinentibus, sed de indole etiam et moribus regum æstimatio fieri debet, sive ipsi considerentur, sive inspiciatur quod potestati incrementum, quam dignitati formam aut habitum addiderint. Regum enim ad exemplar domum ipsorum fuisse compositam, non temere affirmabitur. Quis autem ignorat plerosque principes e gente Valesiorum, superbia inflatos, luxus appetentes, morum præteriti ævi, quo floruisse in militia omnem cultum et leporem et splendorem fabulæ narrabant, inepte imitatores, a simplici Capetiorum victu discessisse, et magnificentiorem vivendi modum affectavisse, quod quidem cum sæculo mire congruebat, quo nullum forsan ad lautitias pronius exstitit? Consentaneum ergo est ut regale Hospitium, solito magis amplificatum, opibus et sumptu diffluxerit.

Quod si de Caroli Quinti indole accuratius inquiretur, intelligetur quid peculiaris ille in temperanda vita intulerit.

Inter nonnullas contemporaneas regis effigies, quæ ad nos pervenerunt, si pictas ad naturæ similitudinem magis expressas fuisse putemus [1], facies macilenta, non decora videtur, etsi oculi quadam suavitate mitescunt. Fronte utique atque habitu toto corporis cogitabundus animus declaratur.

Hunc virum solertia prudentiaque plurimum valuisse, et callidæ subtilitatis capacem et amplissimorum consiliorum, summam potestatem cum publicæ utilitatis cura conciliavisse, ingenii demum plus quam armorum vi Galliam nostram, pæne obrutam, in potentiam et in opes restituisse adeo compertum est, ut sine injuria præterierim.

Neque patris neque avi militarium rerum inane studium mutuatus, nec voluptatum appetentiam [2], imo vero a Marte abhorrens, litteris deditus, eruditorumque magis quam armatorum conversatione delectatus, mira morum castitate degit, sive debilitati corporis, sive animi firmitati hæc tribuatur. Nobiles denique, sed mediæ conditionis, aut etiam inferioris paulo ordinis homines sibi comites potius adhibuit, quam eos qui gentis antiquitate aut potentia pollerent.

Sed a Valesiis Luciliburgensibusque etiam principibus, e quibus maternam trahebat originem, elegantiæ, magnificentiæ et sumptus amorem quasi hereditario jure acceperat.

1. Vide Montfaucon, *Monuments de la monarchie française*, t. III; Hennin, *Monuments de l'histoire de France*; et in primis effigiem Karoli Quinti ex manuscripto Musei Meermann desumptam, quam in fronte voluminis invenies cui titulus est : *Inventaire du mobilier de Charles V, roi de France*, publié par Jules Labarte, 1879. Lege tamen L. Courajod, in *Gazette des Beaux-arts*, 1885, p. 217 et seq.

2. Unius mulieris amore in juvenilibus annis eum flagrasse comperimus, dominæ scilicet de Cassinel, cujus nomen littera k, cycnoque et ala figuratum armis suis aliquantisper immiscuit (Bibl. Éc. des Ch., t. XIII, p. 253).

Hospitium ergo amplissime dilatavit, ædes quas possidebat omni opulentia et splendore ornavit, necnon solemnem vitæ ritum instituit, non modo quia his delectabatur, sed etiam quia inde nonnihil dignitati regiæ addi existimabat [1].

Accedebat ornatius litterarum artiumque ingenuarum studium, quo proprium inter reges medii ævi locum tenet, dignus vere qui humanioris culturæ patronus nominetur. In primis, libros plurimos plurimaque opera, seu materie, seu industria et arte præstantia, magno ardore comparavit, quibus adeo gaudebat, ut nonnulla capsis inclusa plerumque secum ferret [2], et ipse præfuerit recognoscendæ supellectili, quam triplici exemplari descriptam commemorari jussit [3].

Disciplina liberaliter institutus, si Christinæ Pisanæ creditur [4], litteratos maximo honore habuit [5] : in cujusdam codicis manuscripti pictura apparet equitans, comitatus quatuor viris doctorum more pileatis [6]. Dum eruditos, nec laborum nec operum incuriosus, fovebat, librosque inqui-

1. ..... « Nous ayons parfait désir et volonté à l'accroissement dudit hostel et ycelluy faire en toutes ses parties si noble et spacieux comme il affiert a hostel et demeure royale, duquel le regart, la bonne et noble ordenance demonstre aucune fois la noblesse et puissance du seigneur » (Soc. de l'hist. de Paris, 1879, p. 71). — « Item que ung roy de France doit estre vestu continuelment en habit royal... et soit bien enquis..... comment le saige roy Charles, l'ayeul du roy qui est de present, se vestoit, qui... monstroit vesture de roy tele que elle lui appartient » (Bibl. Éc. des Ch., t. XXVII, p. 141).

2. *Inventaire du mobilier de Charles V*, p. 79. « C'est assavoir fermaulx, anneaulx et autres choses estans és coffres que le roy fait porter continuellement avecques soy, dont il porte la clef » (*Id.*, n. 556, 683 et seq.).

3. *Invent.*, p. 1, p. 79.

4. Chr. de Pisan, III, ch. 4, 5, 6.

5. Lege verba ejus, apud Chr. de Pisan, III, ch. 14.

6. Montfaucon, *Monum. de la mon. fr.*, t. III.

rebat, non solum ut colligeret, sed ut perlegeret et disceret [1], ad id operam navavit ut a Latinis vel Græcis scripta in gallicam linguam verterentur [2], ita ut si in nostra patria antiquæ litteræ, aliquo excitante, jam tunc potuissent renasci, ille certe instauratorum hujusmodi studiorum auctor diceretur.

Artium denique intelligens et peritus fuit, præsertimque architecturæ [3], nec minus artifices ipsas quam litteratos coluit.

Dictitatus est ille, utpote parcus opibusque publicis temperanter usus, res ærarii optime administrasse, cui laudi non sine discrimine assentiar. Quod si de pecunia colligenda, de ordinandis in melius ministeriorum provinciis comprimendoque peculatu agatur, omne tulit punctum; quin etiam divitias communes ad patriæ, non modo commodum, sed multo magis salutem, consultissime convertit. E contrario, qui vitam privatam regis consideraverit, inveniet profusissime nummos innumeros largientem, luxui deditum, emptionibus perpetuo indulgentem, munditias, jocalia, tabulas, imagines, libros, quotidie ut ita dicam mercantem, multiplici domesticorum copia stipatum, quos donis plus æquo, ut videtur, cumulabat, sæpiusque imposita ad regni utilitates vectigalia in regales usus deflectentem.

1. Vide Delisle, *le Cabinet des manuscrits de la Bibliothèque nationale*, t. I, p. 18 et seq.

2. Ex his intelligetur quam injuriose de hoc locutus fuerit Boccacius, ubi negat se librum quemcumque regibus Galliæ dicaturum, qui majestatem regiam obscuratam putarent si litterarum figuras novissent (*Hist. littér.*, t. XXIV, p. 185, p. 204). — Æqui observantior Froissart (*Id.*, p. 178).

3. De art, entant que s'estent l'œuvre formele, nul ne l'en passoit, tout n'eust-il l'expérience ou exercite de la main (Chr. de Pisan, III, ch. 11, 12).

Tam multa in Hospitii sumptum impendit ut, postquam æquales de hoc tanquam de ditissimo splendidissimoque sui temporis rege locuti sint [1], sub vitæ finem [2] sollicite invigilare debuerit æri alieno persolvendo, quod quidem non contigit, nisi multis post mortem annis elapsis.

Ceterum plurimas laudes adeptus est, sive a pristinis, sive a recentioribus scriptoribus, e quibus omnibus unum, quando et regi appropinquaverat, et a latino poeta elegantissime judicium sumpsit, quo non æquius ullum esse potest, laudabo : Joannem de Monsterolio scilicet [3], dum proclamat Carolum, instar Quinti Fabii, cunctando restituisse rem, si non dicendum ampliavisse.

Quædam tamen his discrepantia post ejus obitum audita sunt [4], nemoque nescit qua spe et quo impetu plebs popos-

1. Assembla grant tresor (*Chron. des Val.*, p. 288). — Et a son temps amassa moult de biens (Eust. Deschamps, t. I, 165). — Charles..... surnommé le Riche (Guillebert de Metz, in *Paris et ses historiens aux* XIVe *et* XVe *siècles*, p. 148).

2. *Mandem.*, 1956 : Que toutes nos debtes et par especial pour la despense de nostre hostel et de feue nostre compagne la royne soient promptement payez. Bibl. Éc. Ch., t. XXXVI, p. 302.

3. Apud Thomas, *De Joannis de Monsterolio vita et operibus*, p. 16. Vide inter alia : *Chron. des Valois*, p. 288; Eust. Deschamps, *Ball.*, I, 166. — Il feist six choses dignes de memoyre : batailla, acquesta, son dommayne deschargea, ediffia, fonda et thesaurisa grandement (apud de Saulcy, *Documents monétaires*, p. 548).

4. Avoit esté moult avoir et assambleur de monnoye et convoitoit moult or et argent.... dyablement y ait part quant il a vescu si longuement. Hæc et similia, ut videtur, jactitabantur (Vide Douët d'Arcq, *Pièces inédites du règne de Charles VI*, t. I, n° 51). In cantiuncula legitur :

Maçons perdirent à sa mort :
En sa vie maçonna fort,

apud Kervyn de Lettenhove, in Johannis Froissart operibus, t. XXI, p. 338. — Bullet. de la Soc. de l'Hist. de Fr., ann. 1883, p. 263 : Cilz rois mist et leva sur son peuple moult de subvencions..... et en plus grant quantité que on ne avoit memoire de avoir veu ou royaume de France.

cerit ut gravissimis a defuncto rege indictis tributis allevaretur. Nonnulla etiam nostra ætate allata sunt, quæ laudibus solitis aliquid detrahunt[1]. Hæc omnia pensi habenda, dummodo tamen, de parvis inquirentes, meritorum regis nunquam obliviscamur, cui plurimum patria nostra debuit.

§ 2. — De Caroli Quinti ædibus.

Regibus nec Hospitium nec sedes stabilis et unica olim erat, ita ut illis locum mutantibus, hoc et ipsum mutaretur : famulitium scilicet et privatæ rei administratio et domesticorum comitatus, nonnunquam etiam ea quæ juris aut commodi publici erant, cum officiis ad eadem pertinentibus. Hac in re quo modo egerint Capetii supervacaneum hic dicere, sive quasdam domos sibi proprias elegerint, sive sæpius apud incolas, qua iter faciebant, cum cœtu suo deverterint, jus illud exercentes, de quo frequentissime in chronicis aut in mandatis principum mentio fit, gallice dicto *droit de gîte*. Regnante adhuc Philippo secundo, regis itinera singulis prope diebus et vestigiis certis sequi licet. Hæ quidem peregrinationes adeo solitæ erant, ut cum ipso principe, famulorum opera ad hoc præcipue adhibitorum, magna pars supellectilis transveheretur, vestes in primis ad instruendum cubiculum.

Crescente vero regno et augescente imperio et multiplicato magistratuum officiorumque, vel ad publica vel ad privata spectantium, numero, ad id reges adduci debebant ut uno in loco magis ac magis residerent, dumque in caput

1. Confer Noël Valois : *La revanche des frères Braque* (Soc. hist. de Paris, ann. 1883, p. 100).

regni Lutetia et in metropolim evasit, sequebatur ut in certa magis sede Hospitium collocaretur.

Lutetiæ plerumque aut circa Lutetiam Carolus habitavit, sive sponte ad hoc inclinaret, sive valetudinis incommodæ causa, addito præsertim quod multum aberat quin Galliæ status, cum ab Anglis, tum a consociatis latronibus infestatæ, itineribus longinquis faveret, quando rex sæpe a Palatii fenestris fumantes incendio belloque campos adspexerit. Hic autem adeo gavisus est ædificare, ut nullus sexdecim annorum, quibus imperavit, a structoriis operibus vacaverit, et nemo ex his qui ante eum, pauci ex his qui post eum regnaverunt, plura tam brevibus annis monumenta erexerint.

Patre vivente castellum Vallis Rodolii in Normannia coluerat, a pictore egregio Johanne Coste decoratum [1]. Postquam regnare incepit, plurima ædificia vel inchoavit vel refecit, quorum quæ communis utilitatis erant hic omittentur.

Lutetiæ tres ædes præcipue gratas habuit : Hospitium Sancti Pauli, Castellum Luparæ, Regium Palatium, extra Lutetiam duas : Vincennas nempe, Vincennisque vicinam domum ad Matronam, quæ ex pulchritudine ipsa et situ nomen desumpsit : Beauté-sur-Marne.

Totum a Carolo institutum est Hospitium Sancti Pauli, non quod a rege ex integro exstructum surrexerit, dum contra e diversis ædibus congregatis constitit; sed quia tunc primum a Carolo istæ ædes in unam collatæ et regis familiæque usibus aptatæ, formam et speciem domus regalis affectaverunt, nescio quid tamen liberius et remis-

1. Vide Dufour, *Une famille de peintres parisiens au* XIV[e] s.; Bibl. de l'Éc des Ch., t. VIII, p. 336; Archives de l'art français, 1852-1853, p. 332 et seq. — Conf. infra, cap. III, § 4.

sius in ipso luxu proferentes. Ad extremum, partem urbis obtinuerunt patentem intra vicum a Sancto Antonio dictum, Sequanamque [1].

Jam anno 1358, Carolus, tunc regens Galliæ, et uxor ejus, Lutetiam reduces, ad Sancti Pauli domum devertebant [2], quam emptam anno 1361 civitas Parisiensium delphino dono donavit [3]. Ille autem adjacens abbatum Sancti Mauri hospitium anno 1362 priori ædificio conjungebat, adeoque continuatis delectabatur ut, anno 1364, mense Julio, ædes in dominium regale transtulerit [4], qua ratione nec præscriptione, nec venditione, nec ulla quacumque causa eas abalienari fas esset. Eodem fere tempore, hospitium Senonensium archiepiscoporum, alia quadam domo a Johanne de Hestomesnil empta mutatum est, ut Sancto Paulo adderetur [5], obstante tamen Summo Pontifice, donec anno 1368 inter partes est transactum [6]; annexæ denique ædes dictæ « Pute-y-muce et Beautreillis ». Ex his omnibus vix quædam vestigia manent, quæ domui subjacent angulum viæ de Sancto Paulo ad Sequanam tenenti. Finge autem amplissimum, figuræ inæqualiter quadratæ instar, spatium, non fossis vallisque castelli in

1. *Paris en 1380*, p. 59.

2. Froissart, t. V, p. 118.

3. S. Luce, *Hist. de Du Guesclin*, p. 419.

4. Ordonn., t. IV, p. 473 : Lequel Nous avons acheté et fait édifier de noz propres deniers est Hostel solennel et de granz esbatemens, et ouquel avons en plusieurs plaisirs acquis et recouvré à l'ayde de Dieu, santé de plusieurs granz maladies... — Nota non propriis nummis emptas ædes a rege fuisse, quantumvis affirmate loquatur.

5. *Mand.* 248 : Nous, en recompensacion de l'ostel qui fu de l'archeveschie de Sens, que nous avons eu pour adjoindre avec le nostre de Saint Pol à Paris.

6. M. Prou, *Recherches sur les hôtels de l'archevêché de Sens à Paris*, 1882.

modum, sed muro perpetuo cinctum : intra, plurima ædificia, neque inter se adspectu concordantia, neque ad ordinem composita; hæc inter, areas hortosque, seu in pometa, seu in vineta, vel etiam in vivaria divisa, quadam in parte feras bestias, leones præsertim, inclusas. Hic rex et regina, ministrique et nobiles viri aulæ additi habitabant. Sed reginæ in primis, proprium et quasi peculiare, Hospitium Sancti Pauli paulatim concessum est, in quo cum aliquot matronis et speciali famulitio degit, aulæ quidem non sine apparatu, quando ad salutandum venirent non modo optimates sed etiam reges externi, si qui in Gallia adessent. Hic vita, anno 1378, est defuncta [1].

De monasterio vix obiter dicam, quod juxta Sanctum Paulum, Celestinorum gratia, rex ædificavit, et de ecclesia, in qua statuæ Caroli et Johannæ uxoris conspiciebantur, anno 1370 dedicata [2].

Luparam quoque nomen Caroli Quinti illustrat, quarum ædium historia visceribus Galliæ et Lutetiæ, ut ita dicam, adhæret [3] : A Philippo Secundo, quod plerique historicorum tradunt, inceptæ, in modum castelli magis quam domus exsurgebant, robustum nudumque structuræ genus,

1. Mém. de la Soc. de l'hist. de Paris, 1879.

2. *Inscr. de la France*, t. I, p. 432-435 : L'an M.CCC.LXV le XXVI[e] jour de may massist Charles Roy de France. — Lapis in museo Cluniacensi servatur (n° 124). — Vide *Mand.* 736 : Pour le grant autel et le derrieres des Célestins de Paris, et paremens à touailles, que nous donnasmez aux diz Célestins le jour que leur eglise fut dédiée, à XXII franz la pièce, valent VII[xx] VIII franz. — Chr. de Pisan, III, ch. 11.

3. De Lupara vide Sauval, *Antiquités de Paris*, t. II, p. 7 et seq. Clarac ; *Musée de sculpture, etc.*, t. I ; Berty, *Topogr. hist. du vieux Paris : le Louvre*, t. I, p. 113 et seq. ; Hoffbauer, *Paris à travers les âges*, t. I. — In Chronico regni Philippi Secundi (*œuvres de Rigord et Guillaume Le Breton*, t. I, p. 293) hæc leges : In turri nova extra muros inclusum arcte custodie (Ferrandum rex) mancipavit. Conf. t. II, p. 354.

quod tredecimo etiam sæculo, in monumentis civilibus, eminebat, affectantes [1].

Vix imperium Carolus, mortuo patre, assumpserat, cum Luparæ reficiendæ operam navavit, qua in re regnum totum consummavit [2], non minus quam quinque et quinquaginta millibus librarum, auctore Sauval, expensis, quod prorsus credibile est [3], quando ædes fere in integrum sunt renovatæ. Præfuit operi architectus ille Raimundus du Temple, quem rex plurimi faciebat, cuique nullus eo tempore fama prævaluit : dignum sane memoria nomen iis, qui non modo artium, quibus ingenium gallicum excelluit, sed virorum quoque qui eas exercuere, curiosi sunt [4].

Per partes et subinde refectum fuisse [5] castellum ex hoc inferes, quod sæpius ibi Carolus habitavit, imo comes Autissiodorensis anno 1367 inclusus, et dux Clarentiæ anno 1368 splendide fuit receptus [6], donec, ad finem regni,

1. De Lupara fit mentio regnante Philippo Quarto (Bibl. de l'Ec. des Ch., XLV, p. 237 et seq.), et præsertim de camera thesauri. — Hic habitaverunt Johannes Secundus et Karolus annis 1355, 56, 57 (*Gr. Chron.*, t. VI, p. 17, 47, et passim); eodem tamen tempore, castellum carceris vicem explebat, in quo inclusi sunt Johannes de Montfort posteaque rex Navarræ (Froissart, t. II, p. 114; *Gr. Chron.*, VI, p. 27); a Parisiensibus captum anno 1358, in armamentarium convertitur (Guill. de Nang., 11, 256; *Gr. Chron.* t. VI, p. 104, 128), donec a delphino rursus occupatum, celebratis Johannis d'Harcourt nuptiis, frequentetur (*Gr. Chron.*, t. VI, p. 164; Froissart, t. V, p. xlix).

2. In actis mandatisque hæc sequeris ab anno 1364 (*Mand.* 17 ad 1975, *Mand.* p. x).

3. Summarum rationes in Luparam expensarum pro parte referuntur in *Rev. arch.*, 1851-52, p. 670 et seq., et *Topogr hist. de Paris; le Louvre*, t. I, p. 181-199. — In quibusdam insuper mandatis de nummis ad castelli refectionem adhibitis mentio fit (*Mand.* 73, 185, 1589, etc.).

4. Vide infra, cap. III, § 4.

5. Vide *Mandem.*, passim.

6. Froissart, t. VII, p. 56; *Grandes Chron.*, t. VI, p. 251.

restitutum ædificium et in modum novitatis splendens invisit, invitante rege, Carolus Quartus, Imperator[1].

Quis fuerit ea fere ætate conspectus ædium ostendit effigies quædam in codice manuscripto depicta, qui in bibliotheca ducis d'Aumale hodie servatur[2]. A meridie, Sequanæ adjacebant, turribus, ut tunc solebat, munitæ, fossaque cinctæ, cujus aquæ in fluvium canali evadebant[3]. In medio, turris altior ampliorque, ita ut, renovata veteri Lupara, forinsecus castellum, intrinsecus domus majestatis regiæ haud indigna constitueretur[4]. Ad turrem aditus ponticulo erat, cujus in fronte stabat lapideus rex Carolus, sceptrum tenens, opus sculptoris inclyti Johannis de Saint-Romain, ascendebaturque in cubilia scalario, quod artis velut miraculum æquales et posteri ipsi diutius suspexerunt[5]. Intus patebant cubicula regis reginæque ad usum; mesaulæ, magnum conclave a Sancto Ludovico ducens nomen[6], ubi solemnia celebrabantur, jussu Caroli picturis decoratum, quas etiam Francisco Primo regnante videre erat; superioribusque in tabulatis Bibliotheca regalis, et camera ubi jocalia recondebantur[7]. Adde cellas domesticis habitandas, horticulos floribus arbustisque minutius abrasis quasi vermiculatos, omnia denique ad locorum amœnitatem aut pompam accommodata, quan-

1. *Grandes chron.*, t. VI, p. 391 : Fist montrer à l'empereur au dehors et dedens le nouvel édifice.

2. Delisle, *Gazette des beaux-arts*, 1884, p. 97 et seq. Cf. *Catalogue du Musée du Louvre*. École française, n° 650.

3. Berty, p. 139-142.

4. Berty, p. 129.

5. Berty, p. 130, p. 149; Bibl. de l'Éc. des Chartes, t. VIII, p. 55.

6. Berty, p. 124, 131; Renan, *Hist. littér.*, t. XXIV, p. 650; *Journal de Nicolas de Baye*, p. 205.

7. Berty, p. 130; *Nouveaux Comptes de l'argenterie*, p. 154.

quam carceris instar et castelli, incipiente etiam quarto decimo sæculo, Lupara constiterit[1].

Palatio tamen vetus fama, præteritorum temporum memoria, pompis regalibus apta amplitudo, titulus forsan ipse quasi prærogativam dignitatis servaverant, ut argumento est, omissis aliis, receptus ibi, anno 1378, Imperator Carolus, festorumque maximo apparatu honestatus. Cui domui rex, si qua opus esset, reficiendæ vel decorandæ, pluribus mandatis opes certas adhibuit[2].

Extra Lutetiam, Vincennarum nemus coluit, cui jam ante eum primas nostri reges dabant, ut notissima de Sancto Ludovico narratiuncula demonstrat, ibique structoria opera inceperant, quæ quarto decimo sæculo increverunt[3].

Jam inde ab anno 1364, turrem Vincennis ædificari ex regis mandato quodam comperimus[4], ducenas et quinquaginta libras Parisiensium per hebdomada in hanc adhibentis. Anno autem 1371, non minus quam duo millia librarum per mensem Vincennis impensæ sunt[5]. Quin

1. *Chron. des premiers Valois*, p. 315; *Journ. de Nicolas de Baye*, p. 234, 236. Anno 1405 in Luparam ducebatur delphinus quo tutius hic moraretur (*Journ. de Nicolas de Baye*, p. 138).

2. Vide Froissart, t. VI, p. 20; Ordonn., IV, p. 503, anni 1364; Id., *ib.*, p. 680, anni 1365; Id., t. V, p. 543, anni 1372; — Au Palais fist bâtir à sa plaisance (Christ. de Pisan, III, ch. 11).

3. *Œuvres de Rigord*, t. I, p. 34 : (1183), Philippus Augustus.... nemus Vicenarum....... muro optimo circumcingi fecit. — Bibl. de l'Éc. des Ch., XLV, p. 337. — Ædes Vincennarum tanti æstimabat Philippus V, ut anno 1317 de his cum Clementia regina transegerit, inque chirographo hæc legantur « moult profitable et moult necessaire pour nous » (*Nouv. Comptes de l'argenterie*, p. VI). Affirmat tamen Renan (*Hist. litt.*, t. XXIV, p. 542) castellum a Philippo VI anno 1337 inceptum fuisse.

4. *Mand.* 11, vigesima septima die Aprilis.

5. Tria de Vincennis mandata vide (*Mand.* 1343, anni 1377; 1640 et 1681, anni 1378), ubi circiter sexaginta millia francorum dinumeres,

etiam Carolo in mentem venerat [1] hic urbem clausam condere, ubi receptos nobiles viros militesque suis nummis sustentasset. Capellam saltem ibi constituit, assignatis in annuam dotationem millibus et quingentis libris turonensium [2].

Castellum, quo tempore integrum erat, ante oculos habebit non tam qui vestigia adhuc permanentia, quam qui picturam quamdam in codice jam supra dicto inspiciet [3] : Altum ædificium, muris, turribus fossisque defensum, cui magis quam Luparæ militare aliquid inerat. Singularem vero jucunditatem venustatemque afferebat qua cingebatur silva [4], arboribus antiquis frondosa, quam scriptor quidam italicus quinti decimi sæculi inclytis Papiarum hortis comparat [5].

Modestior, sed regi quidem gratior fuit domus ad Matronæ ripas apud Novigentum latens : Beauté-sur-Marne [6]. Ibi, omissis ad tempus curis publicis, animum et corpus relaxabat, scriptorumque aut librorum commercio delectabatur. Ibi eum vita decessisse nemo ignorat.

De domibus quas in provinciis possedit Carolus, sive

omissis sane nonnullis aliis mandatis quæ ad nos non pervenerunt. Plurima de pecuniis Vincennarum operibus adhibitis documenta sunt in Bib. nat., *fr.*, 26006, nos 36, 37, 45, 51, etc. ; 26011, no 1445 ; 26014, nos 1956, 1988, 2002, 2022.

1. Christ. de Pis., III, ch. 11.

2. Gautier, *Posit. des thèses de l'Éc. de Ch.*, 1886, p. 77 et seq. ; *Paris et ses hist.*, p. 227 ; Ordonn., t. IX, p. 17.

3. L. Delisle, *Gazette des beaux-arts*, 1884.

4. Vide codicem de quo superius actum est. — De Castello et hortis et silva Vincennarum loquitur mandatum quoddam (Ordonn., t. IX, p. 17). — Hic, ut in Hospitio Sancti Pauli, feræ custodiebantur (*Mand.* 711, 1561).

5. *Paris et ses hist.*, p. 544.

6. Eust. Deschamps, t. I, p. 155 ; II, p. 211, v. 235-265 ; *Paris et ses hist.*, p. 547 ; *Invent. du mobilier de Charles V*, p. 379.

eas hereditarias acceperit, sive acquisierit, sive ædificaverit, pauca dicenda sunt, quippe quas raro habitaverit, non tamen omnino neglectas.

Castellum urbemque Credilium[1] comparavit anno 1374, ubi jam tum ab aulicis frequentatum est[2]; Compendii quoque, non longe scilicet a Credilio, aliud hospitium anno 1378 sibi exstruxit[3].

Addentur his, ut documentis compertum est, alia hospitia Aureliani[4], Sancti Germani[5], castella quoque Vivarii[6] in Bria, Montis Argi, Meleduni[7].

§ 3. — De componendo Hospitio.

Licet, nonnullis proditis exemplis, explanare jam tentaverim quid significet verbum id Hospitium, e quo summa hujus libri pendet, nunc tamen, quoniam operis propositum magis ac magis aggredior, addenda quædam, ut minimus ambiguitati locus maneat.

Aliud Hospitium, aliud esse regnum jam dictitavi[8],

1. *Chron. du bon duc Loys de Bourbon*, p. 164; *Mandem.* 1058; *Invent. des titres de la Maison ducale de Bourbon*, 3275. — Sex millia librarum turonensium trimestri spatio anno 1377, duodecimque millia semestri impensa fuisse operum causa monent duo mandata (*Mandem.* 1463 et 1558). — Cf. Bibl. nat., *fr.*, 26014, n° 2011.

2. Habuit Credilii hospitium dux Babonensis ad quod emendum duo millia librarum Turonensium rex suppeditavit, anno 1377 (*Mand.* 1402).

3. Delisle, *Collect. de Bast. d'Estang*, p. 157; De Laborde, *Les ducs de Bourgogne*, t. III, p. 467.

4. *Mandem.* 1428.

5. *Mandem.* 1506.

6. *Nouv. Comptes de l'arg.*, p. xxi; *Comptes de l'Hôtel*, p. 30, 45, 46, 52, 107.

7. Cf. Christ. de Pis., III, ch. 11.

8. Adde Soc. de l'Histoire de France, Bulletin, année 1875, p. 90 : Le budget et la population de la France sous Philippe VI.

illud nempe ad privata, hoc ad publica attinere. Extense vero loquenti, Hospitio continentur non solum domestici officia exercentes, et regale famulitium, sed etiam primates quidam regni qui, antiquis dignitatibus ornati, festis præcipue diebus, vassalitatis quasi jure, ut majestatem regiam augeant, adsunt, viri denique nobiles qui, nec titulo nec ministerio peculiari fungentes, domum regalem frequentant [1].

Hæc omnia pristinorum morum vestigia, nam medio ævo domestica officia adeo in usu et in honore erant, ut ea honestissimo loco nati tum stipularentur, tum sponderent [2], et ab optimatibus, imo etiam a regiis vel pueris vel juvenibus sæpissime usurparentur. Quæ quidem quarto decimo sæculo non obsoleverant, nam apud reges Galliæ et Angliæ talia ministeria haud semel obierunt sive milites armorum bellique laude insignes, sine affines ipsi, quod multo magis in decus quam in onus vertebatur [3].

1. *Chron. du bon duc*, p. 107 : Et mena le duc de Bourbon cent gentilshommes chevaliers et escuiers de son hostel, où il avoit es cent gentilshommes sept bannerés. — *Id.*, p. 49, 63, 64; p. 153 : Et lors respondit le duc de Bourbon : « Vous estes six cens hommes d'armes et j'en ai autres six cens de mon hostel que j'en mènerai. » — Froissart, t. VI, p. 82, 93, 95; t. VII, p. 95, 129.

2. Ducange, in Leber t. VIII, p. 57 : Si dictus vicedominus me pro festo faciendo summonuerit, ego cum uxore mea per octo dies secum ad custum meum debeo remanere.

3. Froiss., t. IV, p. 82 : Quant li souper fu appareilliés li rois lava et fist laver tous ces chevaliers français ; si s'assist a table et les fist seoir dalès lui moult honnourablement. Et les servirent dou premier més li princes de Galles et li chevalier d'Engleterre. — En l'an de grâce mil trois cens soixante et douze tint le roi Charles à Paris la feste de Noël grande et solemnelle..... et a cellui jour servit le connestable de France le roi à table, la verge en la main et le chaperon hors de la teste, et aussi firent les mareschaulx le maistre des arbalestriers et chascun selon son endroit; et fut l'ordonnance tenue de servir en court jusques après le jour de l'an (*Chron. du bon duc de*

Quo autem virorum feminarumque illustrium concursu aula celebraretur, nulli eorum ignoratur qui Chronica legerunt [1]. Moris erat ut quisquis natu aut meritis honestatus in viciniis versabatur, is domum regiam suo pæne arbitratu hospes adiret, cœnæque conviva admitteretur [2].

Stricto vero sensu, ea solum ministeria iique homines locum in Hospitio obtinebant quibus rex, ad vivendum, ut ita dicam, et ad agendum domestice utebatur, partibus autem inter superiores inferioresque ministros distributis, quorum gallice vocabantur illi « gens de l'Hostel », hi « gens du commun [3] ».

Regis est Hospitium ordinare, quo jubente, per summum Hospitii Magistrum, aut per familiares quosdam, adhibitis Consiliariis regni primatibusque, domus componitur [4]. Quod si plerumque, initio cujusque regni, nova

Bourb., p. 31). Vide Froissart, t. IV, p. 115; t. VI, p. 54. In Gautier de Sibert, apud Leber, t. VIII, de festo a Carolo Quarto Germanorum imperatore celebrato mentio fit :

Grand prince, duc, senechal
Servoient les mets a cheval.

1. In aula Philippi Quinti degebant : Que Chevaliers que escuiers tant doffice comme sans office VII^{xx}X personnes..., sans baneres et bachelers qui aloient et venoient à leur volenté (Arch., JJ, 57, f° 36).

2. *Chron. du Bon Duc...*, p. 272, 73 : Et estant en celle attente tenoit lors le duc grant tinel à Paris en son hostel de Bourbon..... Et advint quant le roi estoit malade, qu'il ne tenoit point de court et tous ceulx qui venoient à la cour du roi où rien ne trouvoient appareillié disoient : « Allons nous disner à l'hostel du duc de Bourbon et nous y serons bien venus. » — Froissart, t. I, p. 44 : Et tenoient leur tinel... li rois (d'Angleterre) de ses chevaliers, et la royne de ses dames, dont elle avoit grant fuison en se compagnie. — Froissart, t. VII, p. 66.

3. Vide *Comptes de l'Hôtel*, p. xvii, 23, 24, etc.

4. Arch., K, 1713, n° 1, f° 57, p. 62, 63 : Ordonnance de l'hostel de monseigneur Charles dauphin de Viennois, duc de Normandie,

instituuntur, sive de personis agitur, sive de rebus, sæpenumero tamen defuncti regis domus servatur tacito quasi consensu [1], quam ad augendam vel minuendam promulgantur interdum specialia mandata, officiorum et ministrorum numerum et stipendia, aut impensarum summam definientia. Iteratorum igitur hujus generis mandatorum pleraque inter se adeo communicant ut, uno perlecto, cetera etiam innotescant, rebus tamen ea ratione quarto decimo sæculo procedentibus ut, alternantes contraria inter se decreta, perpetuo et crescens ultra modum Hospitium reges contrahere tentaverint, et vix contractum paulatim amplificaverint.

A rege eliguntur domestici, sive eorum in ordinatione Hospitii nomina inseruntur [2], sive instituuntur per diploma [3], cui concedendo consilium regale interest, quando

faite par lui en son conseil auquel estoient M. Pierre de Villiers chevalier et grand maistre de son hostel, M. Pierre Payon, M. Nicolas Braque, M. Bertrand du Clos, sire Amaury Braque..... — Id., p. 57 : L'ordenance faite du commandement du Roy par monseigneur Jehan de Biaumont souverain maistre de l'Hostel le Roy, monseigneur Pierre de Jarmay, monseigneur Herouard de Belleperche maistres d'Hostel.

1. Idem in rebus regni fieri testantur Ordonn., IV, p. 413; Arch., P, 2294, p. 471; Bibl. nat., *acq. nov. lat.*, 184, f° 34 v°; *Comptes de l'Hôt.*, p. 24, 27. — Mortuo rege omnia munera, exceptis Servientibus armorum, abdicata censeri indicat Boutillier (*Somm. rur.*, liv. I, t. 2).

2. *Cart. des r.*, 1845. *Chron. du Bon Duc...*, p. 18 : Fist le bon duc l'ordonnance des officiers qu'il volait avoir en son hostel. Et premièrement de son corps. Et entre les autres prit messire Jehan de Demoret... Si le retint son mestre d'hôtel... et voult que Barberié fût son escuyer tranchant... — *Mand.* 1819 : Au mois d'aoust que nous feismes nouvelle ordenance sur l'estat et hostel de nostre dit neveu... ledit évêque ne nous requist point lors de avoir de nous lettre de son ordenance.

3. Anselme, t. VIII, p. 471, 472; Arch., P, 2295, p. 141 : Toullardus de Staffort institutus magister scutiferie domini regis per litteras dicti domini regis datas XV die Augusti 1373, signatas sic :

de superioribus muniis agitur, publicum aliquid retinentibus [1]. Plerique ceterum, nisi loco amoti aut se abdicantes, vitæ curriculum hic peragebant et per gradus paulatim promovebantur [2]. Quot fuerint numero dubium, eos vero plurimos fuisse constat, et argumento sunt omnis generis documenta :

1° In Hospitio regis Philippi Quinti [3] enumerantur plus quam centum et triginta domestici ;

2° Uxore Philippi Sexti testante, designantur varii ordinis gradusque ministri tres et septuaginta [4] ;

3° Ordinato, anno 1350, Philippi Sexti Hospitio adscribuntur domestici ducenti et quadraginta [5] ;

4° Carolum Sextum, anno 1396, Sanctum Audomarum pergentem, Isabellæ nuptiarum gratia, comitantur septem et sexaginta Cambellani (?), Magistri Hospitii octo, milites et scutigeri, honoris causa, sex et viginti, Valleti Cameræ octoginta, Hostiarii et Servientes armorum quinquaginta [6].

par le Roy J. Tabari, fecit in Camera Compotorum solitum juramentum XXIV die novembris, post eodem anno et locutum fuit de vadiis suis de XL S. T. per diem, quia sic rex voluit que transirent pro omnibus, quia aliter non acceptasset officium prædictum. Perlege *Mand.* 1819.

1. Martène, *Amplissima collectio*, t. I, col. 1516.

2. Philippus de Calleville e Scancionario Cambellanus fit (*Mand.* 992, 1024) : Colardus de Tanques e corporis Scutifero Magister Scutiferiæ (Anselme, t. VIII, p. 469) ; Gautherius de Broon e subelemosynario elemosinarius (Anselme, t. VIII, p. 227) ; Gasse de la Buigne trium regum Capellanus fuit, Delisle, *Test. de Bl. de Nav.* n° 243 (Vide infra). Bibl. de l'Ec. des Ch., t. VII, p. 143 ; Anselme, t. VIII, p. 471.

3. Arch., JJ, 57. Cf. *id.*, f° 36.

4. Société de l'Hist. de Paris, *Testament de Blanche de Navarre*, 1885.

5. Arch., K, 1713, n° 1, p. 57 : Nota hanc ordinationem ad contrahendum Hospitium fuisse factam. — Vide etiam P, 2591, f° 354.

6. Bibl. nat., *fr.*, 20684, p. 487. Vide etiam Douet d'Arcq, *Pièces inéd. du règne de Ch. VI*, t. I, p. 130.

Nec mirum, cum Biturigum duci, anno 1398, apparerent famuli trecenti et quinquaginta[1], quos inter, septem et decem Cambellani, Scancionarii tredecim, et eodem modo domus Philippi ducis Burgundiæ innumero comitatu afflueret[2]. Quod si, coactis in unum, regnante Carolo Quinto, familiarium nominibus, quæ hinc et illinc singillatim mihi occurrerunt, index munerum explicetur, Cambellani circiter triginta, Hostiarii armorum et Servientes quinquaginta, Valleti Cameræ triginta dinumerentur. Quam multi autem ex his qui regi serviebant quærentem fefellerint, facile intelligi potest.

Illi autem, cum ita frequentes essent, non omnes eodem tempore sed alternatis vicibus, munus suum explebant; nam ordinationem quamcumque ipsam, mandatave, rationesque ubi de stipendiis agitur, percensentes, admonemur sæpe hunc aulæ adfuisse, dum ille abesset : e duodecimis scilicet Hospitii Magistris tres tantum trimestri spatio in officio fuisse, idem de Panetariis, aliisque[3].

Quæstio vero obscurior est num titulo ministerium semper adhæserit, an quidam nudum honorem induentes nihil

1. Douet d'Arcq, *id.*, *ib.*, p. 149.

2. Godefroy, *État des officiers et domestiques de Philippe le Hardi duc de Bourgogne*, in *Mém. pour servir à l'hist. de Fr.*, MDCCXXIX. Vide etiam Delisle, *Collect. Bast. d'Est.*, p. 52, nº 445; Bibl. de l'Ec. des Ch., t. XXXIII, p. 10; Le Grand d'Aussy, *Vie privée des Français*, t. III, p. 348 et seq. — Quod ad posteriora tempora attinet, Müntz. *La Renaissance en Italie et en France à l'époque de Charles VIII*, p. 438, 439.

3. Ordin. Hospitii Philippi Quinti. — *Comptes de l'Hôtel*, p. 13, p. 61 : Moreau Amboise, messagier, envoié de Paris à Cuille porter lettre du roi à Jehan de Cuille vallet tranchant, pour venir servir en son mois ledit seigneur. Douet d'Arcq, *Pièces inéd. du règne de Ch. VI*, t. I, p. 429-447. De his omnibus cf. *Lestat des offices de lostel du Roy*, in Leber, t. XIX, p. 176 et seq., et Godefroy, *Hist. de Charles VI*, p. 708 et seq.

cum domus regiæ cura commune habuerint. De Cambellanis enim, Servientibus armorum, Valletis Cameræ similibusque nonnullis res disputabitur, non autem de Magistris Hospitii, quorum non temere vulgatur titulus, vel de ministerialibus sex ministeria administrantibus. Cambellanorum autem adeo multiplex occurrit dignitas, ut usum omnimodo excesserit; verumenimvero plurimi ex illis aut bello aut publicis negotiis impediti, non solum a Lutetia, sed etiam a Gallia diutius remoti degebant. Quid aulici muneris, ut unum proferam, obiit Bertrandus du Guesclin, dum in Hispaniam exercitum duxit, quanquam et ipse, ab anno 1364, inter Cambellanos locum obtinuerit? Quod si Servientes armorum vel Hostiarii in controversiam adducantur, multos commissum munus ab aula amovebat, ut puta hunc Carcassonnæ portoria exercentem, illos etiam longinqua in urbe viventes. De Valletis autem Cameræ notabitur nonnullos, mercaturam aut artificium exercentes, Hospitio magis addictos fuisse ut quodam merces vendendi privilegio fruerentur, quam ut famulitio fungerentur [1].

Hæc tamen, nonnisi discrimine facto, proferam : cum enim verisimilius sit quosdam ex Hospitii ministris continua opera abstinuisse, ita et verisimillimum eos, licet intermissum, consentaneum tamen cum titulo quo decorabantur officium præstitisse, sive ferias quasdam aut solemnia in aula celebrarent, sive etiam a rege extra ordinem ad augendum regalis pompæ apparatum convocarentur. Namque in scriptis illis, ubi Reginæ exsequiæ aut Caroli Imperatoris adventus narrantur, in Chronico scilicet a Cancellario, jubente rege, composito, refertur

1. Vide *Mand.* 620. Conf. 507, 537, 1412.

multiplex Cambellanorum, Hostiariorum, Servientium numerus, munus cuique proprium exsequentium, quod et ipsum testantur confirmantque picturæ nonnullæ [1].

§ 4. — De opibus et expensis.

In primis impensæ Hospitii edicantur necesse est : de his intercedit regis scitum, consulto Consilio vel Camera Computorum [2], statuiturque quibus ex opibus sumptus suppleantur, nummis etiam cuique ministerio specialiter attributis [3], ita ut tamen, si necessitate obeunte non sufficiant, aliquid prævisis addatur [4]; factitatum id a Carolo Quinto, utpote qui ab illa vitæ temperantia et morum simplicitate, quam suadebat Ludovicus Sanctus, plurimum discesserit.

1. *Gr. Chron.*, t. VI, p. 369 : Et aussi avoit le roy ses officiers de tous estas... les varlès de chambre cinquante-deux... les sergens d'armes de cinquante à soixante. *Id.* p. 372 : Et pour la garde du corps de l'empereur ordena le roy six de ses chambellans... et autant en ordena le roy pour son corps, et au roy des Romains quatre.

2. N. Valois, *Inventaire des arrêts du Conseil d'État*, p. LXI. Interfuit etiam anno 1369 trium ordinum conventus (*Gr. chron.*, t. VI, p. 321). De impensis contrahendis sæpe mentio fit. Cf. Isambert, *Recueil des anc. lois fr.*, t. VI, p. 580. Vuitry, *Études sur le régime financier de la France, Philippe le Bel, etc.*, t. II, p. 437 et seq., p. 622 et seq.

3. *Mand.* 1618, 1774 : Nous aions, entre les autres choses, ordené que pour soy vestir, armer lui et ses gens, pour vaisselle, pour messagerie et pour autres choses, il aura, oultre et pardessus ce que nous lui avons ordené pour la despense et les gages des gens de son hostel, la somme de quatorze mille frans par an.

4. *Mand.* 762, 1218, 1252 : Nous voulons et vous mandons que quatre cens livres parisis d'une part qui sont demourées à paier des mois d'oust et de septembre darrenièrement passez de certaine ordenance que nous feismes lors sur la creue de la despense de l'ostel de nostre très chière compaingne la royne... et avecques ce huit vins livres parisis pour la creue de sa dicte despense que il lui a convenu faire pour nostre très chiere seur la duchesse de Bourgoingne qui a esté par aucun jours et encores est en sa compaingnie.

Opes autem suppeditabant :

1° Vectigalia ad redimendum Johannem regem aut ad tuendum regnum prius assignata [1];

2° Pars forefactorum, mulctæ, aliaque similia [2];

3° Prædiorum publicorum reditus, tum in nummis, tum in fructibus, varioque proventu consistentes [3];

4° Jus Prisiæ, item quoque jus Gisti [4].

In sumptus contra veniebant :

1° Necessaria ad vitam quotidianam : victum scilicet, vestitum, similiaque nonnulla [5];

1. *Cartons des r.*, 1400, 1402; *Mand.* 432, 691 : Vous mandons que des derniers de noz aides de Normandie à vous ordonnez pour la despense de nostre hostel... Bibl. nat., *fr.*, 26007, n° 274, ubi de vectigalibus ad redimendum Johannem mentio fit. — Vide quoque supra (*Gr. Chron.*, t. VI, p. 321). Conf. Isambert, *Recueil des anc. lois fr.*, t. V, p. 386; Vuitry, *op. laud.*, p. 158 et seq.; L. Dessalles, *Rançon du roi Jean, compte de l'aide*, etc., Introduction, p. 21, 31, 120 et seq.; Izarn et Prévost, *Le compte des recettes et dépenses du roi de Navarre en France et en Normandie de 1367 à 1370*, Introduction, p. cv et seq., p. 63 et passim.

2. Ordonn., t. IV, p. 196, 274 : Lesquelles amendes seront converties es nécessitez de l'argenterie et avant toutes autres choses quelconques en certaine quantité de vesselle d'argent de laquelle nous avons très grand nécessité en nostre hostel.

3. Ordonn., t. III, p. 403; Arch., P, 2296, f° 545 : Voulons la despense des hostels de nous et de nostre très chière et très aimé compaigne la Royne estre entièrement payée sans aucun deffaut et en especial des deniers venans et issant de nostre demaine... *Comptes de l'Hôt.*, p. 9 et seq.; Bibl. nat., *fr.*, 20615, n° 9 : Rex vetat in stagnis regiis quemquam piscare, donec Magistri Hospitii « ausquels nous avons comise la pourveance de nostre hostel pour ledit couronnement le vous mandent » additque malle se pisces ex stagnis suis in usum mensæ capere quam alibi emere. Arch., P, 2295, p. 725 : lesquelles (terres) y sont moult nécessaires y estre et de mourer mêmement pour la despense de nostre hostel.

4. Ordonn., passim, præsertimque t. V, p. 33; t. VI, p. 77, 80, 101. De Gisto vide : Ordonn., t. II, p. 434; t. IV, p. 268; Bibl. nat., *lat.*, 12814, f^os 22, 31.

5. De his expedit plus quam obiter dicere adeo in infinitum

2° Supellectiles instruendæ, domusque regales ornandæ[1];

3° Vestimenta, cognatis, optimatibus, familiaribus domesticisque, festis quibusdam diebus, a rege condonata[2];

4° Stipendia agentium in Hospitio[3];

5° Largitiones, dona, eleemosynæ[4];

6° Decimæ ecclesiis debitæ, pauperesque nutriendi[5];

7° Extraordinaria quædam[6].

Quibus addentur comparata a rege, dum libros, jocalia, tabulas tam effuse emeret[7], ut una die non minus quam tria et triginta millia librarum turonensium in solutionem earum rerum annumerata fuerint[8].

Quantum impensum fuerit in Hospitium non liquet, sive deficiant rationes regnante Carolo, sive rationes ipsæ,

extendebantur. Vide *Comptes de l'Hôtel*, passim, aut exempli gratia *Cartons des r.*, 1330, 1369, 1390, 1406 et seq.; *Mand.* 1039, 1040, passim.

1. *Comptes de l'Hôt.*, p. 62 et seq.

2. Hæc appellantur gallice robes, sive vestitus ipse, sive pro hoc pecunia irrogetur. *Comptes de l'Hôtel* et *Mandem.*, passim, inter quæ *Mand.* 1295, 1302, 1306, 1335 perlegi debent.

3. *Comptes de l'Hôt.*, et *Mand.*, passim.

4. ORDONN., t. II, p. 300. Innumera fuisse dona ostendunt *Comptes de l'Hôtel*, p. 106, 110, *Nouv. Comptes de l'argenterie*, p. XXVI-XXVIII et *passim*, *Mand.*, pass. De eleemosynis et de largitionibus ratio specialis ponebatur. *Comptes de l'Hôt.*, p. 116.

5. LE GRAND D'AUSSY, *Vie privée des Français*, t. II, p. 100; ORDONN., t. XVI, p. 208; t. XX, p. 113. *Comptes de l'Hôtel*, p. 39-41, ubi octo mensibus, sexcentæ et quatuordecim libræ in decimas quasdam addictæ indicantur. — Tertio decimo sæculo pauper unus uno solido impenso per diem alebatur. *Comptes de l'Hôt.*, p. VI.

6. In his Reginæ obsequiæ (*Mand.* 1658), Imperatoris adventus (*Mand.* 1567, 1571, 1584, 1587, 1664, 1665, 1719).

7. *Mand.* 1594, 1597, 1598, 1600, 1605. Ex his tamen multa ad Imperatorem familiaresque ejus excipiendos, donis cumulandos, impendebantur, sed eo ipso tempore nullam propriis sumptibus rex fecit intermissionem.

8. *Mand.* 1590-1610.

si forte nobis occurrant, multum absit quin omnia complectantur. Indicium tamen conjecturamque præbet anni 1380-1381 computus, quo impensæ circiter septuaginta millia librarum Parisiensium, exactis ducentis septuaginta et tribus diebus [1], attigerunt.

Quintuplex caput ita disponam : 1° impensas sex ministeriorum; 2° vadia similiaque alia; 3° empta ad supellectilem; 4° dona eleemosynasque; 5° nummos peditibus equitantibusve nuntios ferentibus solutos.

Pecuniæ ad expensas utrobique collectæ, cum [2] — ut

1. *Comptes de l'Hôt.*, p. 127. Cum in his nec argentariæ impensæ, nec dona a rege concessa, nec emptiones factæ imputentur, æstimandis impensis proderunt nonnulla mandata : 1° In *Mand.* 1618 jubet rex Carolus duo millia Francorum quoque mense tradi sumptuum causa ad vestitum præcipue pertinentium; 2° quindecim millibus francorum, Carolo regis Navarræ filio, tributis, quibus Hospitium ejus sustentetur, addit etiam rex quatuordecim millia francorum, si qua vestibus, armis supellectileque adolescenti opus sit. (*Mand.* 1773, 1774). Cf. Vuitry, *op. laud.*, p. 664, 666, cui tamen non omnino assentiar.

2. Quid valeant summæ in rationibus inscriptæ non sine ambage æstimari potest. Quod si de his libris primum inquiratur quæ turonensium et parisiensium dicuntur, hæc inter istas proportio servatur, his numeris significata :

1 libra par. = 20 solidos par.
1 libra tur. = 20 solidos tur.
1 libra tur. = 16 solidos par.

quo fit ut una libra tur. 4, una libra par. 5 valeat.

Sin autem de moneta illa, tempore Caroli usitatissima, cui franci aurei nomen impositum est, quæstio sit, eaque e pondere æstimanda sit :

1 francus aur. = 3 gr. 85 = 13 fr. 20

hæc circiter. Cum vero declaratum sit, regnante Carolo Quinto (*Mand.*, *Comptes de l'Hôtel*), unum francum uni libræ turonensium æquiparari, inde inferri deberetur :

1 libr. tur. = 1 fr. aur. = 13 fr. 20

Nodos autem quæstionis intricat varians, pro temporibus, auri argentique, quod ad pretium spectat, proportio.

Vide Vuitry, *op. laud.*, p. 309 et seq.; Prévost, in *Compte du roi*

supra explanatum est, — e variis fontibus manent, in manus Magistri Cameræ denariorum coeunt, sive a Thesaurariis regis easdem accipiat, sive a susceptoribus quibusdam in provinciis agentibus[1]; idem empta persolvendi provinciam obtinet[2], et ad calculos, tum Nativitatis die, tum in festo Sancti Johannis venit[3]. Quæ tamen nonnisi dubitatim proponam, sive illud inscitiæ meæ, sive imputetur tempori ipsi, quo nec ad normam, nec ad simplicitatem res componebantur. Intercedunt enim et Thesaurarius et minister, qui « changeur du trésor » nuncupatur, quorum quisque non modo nummos Magistro Cameræ denariorum tradit, sed aliquando etiam ipse ære numerato merces ab institoribus recipit[4], solvitque.

Vestimenta similiaque alia emenda, servanda, variisque usibus tradenda curat Argentarius, cujus officium quarto decimo tantum sæculo institutum fuisse videtur[5]. Quæ

de Navarre, introduction, p. XCIII et seq.; DE WAILLY, *Étude sur les variations de la livre tournois;* DE SAULCY, *Documents monétaires*, quamquam huic operi non plena fides sit adhibenda. Hæc omnia dubio plenissima.

1. *Mand.* 2, 1447, 1544 (ubi incertum aliquid obversatur), 1762. In *Mand.* 1525 de Magistro Cameræ denariorum reginæ agitur : « Nous avons ordené... que pour la venue de nostre très chère sueur la duchesse de Bar et pour un certain disner que nostre très chière et très amée compaigne la royne entent à faire dymenche prouchain..... la somme de cent frans d'or soit baillée au maistre de la chambre aus deniers de nostre dite compaigne... » BIBL. NAT., *fr.,* 26006, n° 176; 26015, n° 2248.

2. COUDERC, *Position des thèses de l'Ecole des Chartes*, année 1886, p. 61; *Comptes de l'Hôt.*, p. XIII.

3. *Comptes de l'Hôt.*, p. XIII; huic adest antigrapharius unus.

4. Cf. *Mand.* 1013, 1025, 1053, 1658. Vide quoque BIBL. NAT., *fr.* 26013, n^{os} 1813, 1830, multaque alia. Impensæ quædam extra Magistrum Cameræ denariorum fiunt, ut contingit de Scutiferiæ Venatoriæque sumptibus. Vide infra, p. 43.

5. Vide *Comptes de l'argenterie des rois de France,* p. V.; *Posit. des thèses de l'Éc. des Ch.*, 1886, p. 62.

propriæ fuerint ejus partes parum compertum habeo. Quod si nullos nummos primum in promptu habuerit, quibus res necessarias ipse emeret [1], eum postea emendi solvendique capacem fuisse demonstrant nummi quos se accepisse declarat [2]. Hoc illi præcipuum et peculiare munus, variam supellectilem custodire et, prout utile est, tradere. Finge eum vestes habere linteave quæ tonsori, postea vestifico dat conficienda, ita ut tribus ex partibus rationes ejus pendeant : quas pecunias receperit, quas res depositas servet, quas in manus alias commiserit [3]. Quæ cum ita sint, manet tamen illud obscurum, quantum de Carolo Quinto quæstio est : regnante eo non intercedere argentarium, ut videtur, ubi ejus arbitrium esse putaremus [4].

§ 5. — De Magistris Hospitii.

Primo loco stare videntur Magistri Hospitii, munere quidem et titulo recentes, qui, et a Dapifero, cujus partes exceperunt, originem trahebant, et Magnis Magistris Domus regiæ, quales postea exstiterunt, ipsi originem fecere [5].

His tota Hospitii administratio et custodia committitur,

1. *Comptes de l'arg.*, p. v.

2. *Nouv. Comptes de l'arg.*, p. 114, 119, 120, 154, 156, 174, 263, 264 : Anno 1387 reditus ex Suessionibus vestimentis assignati sunt.

3. Vide *Nouv. Comptes de l'arg.*, passim.

4. Mandante rege pannos emit Johannes de Aurelianis vestificoque tradit (*Mand.* 1053-1055); testificatur primus summularius præbita quædam a sutore (*Mand.* 1309); alia ex parte, Johannes de Aurelianis accipit a Johanne Mandole pelles faciendæ vestis causa, quâ rex hieme utetur (*Mand.* 1020). *Idem*, 1013, 1025. Anno tamen 1379 significatur Guillelmum Brunel reg Argentarium mille quingentas et triginta libras turonensium in Argentariæ sumptus accepisse. Bibl. nat., *r.*, 26015, n° 2450.

5. Anselme, t. VIII, p. 309, 313.

præeunte Summo Magistro, quo nullus imperio, vix dignitate, superior eminet, ita ut, etiam inter primores regni regioque sanguine ortos, si de rebus Hospitii contendatur, dijudicare possit, ut Petro de Villiers, regnante Carolo Quinto, contigit, Borboniæ et Burgundiæ ducibus de jure cum rege habitandi dimicantibus [1].

Summo igitur Magistro negotia arbitrio pæne suo moderante, ceteri Magistri Hospitii præpositos sex ministeriis regunt, eosdem pecunia mulctantes, aut, si quid majoris culpæ evenerit, officio etiam amoventes [2].

Impensas omnes ordinant [3], rationibus redditis intersunt [4], opera quæcumque facienda decernunt locantque [5], de recipiendo rege cum civitatibus paciscuntur [6], solem-

1. *Invent. des titres*, etc., 3031. De Summo Magistro, vide Bibl. de l'Ec. des Ch., t. XIII, p. 264.

2. Ordonn., t. I, p. 670; *Cart. des r.*, 1307; Froissart, t. VIII, p. 140; *Posit. des thèses de l'Ec. des Ch.*, 1886, p. 61; Ordin. Hosp. Philippi Quinti, passim. Boutillier, *Somme rur.*, liv. II, t. I. Vide quoque in testamento Caroli Magistros Hospitii arbitros nummorum a rege domesticis suis legatorum. Stipendia quoque instituunt indicuntque agentium in domo regia. Arch., K, 1713, n° 7.

3. *Comptes de l'Hôt.*, p. 29 et suiv., p. 62, p. 239. Jubente Magistro Hospitii, vectigalium noviomagensium susceptor 1765 libras parisiensium in manus Magistri Cameræ denariorum tradit ad Hospitii impensas. Bibl. nat., *fr.*, 26016, n^os^ 2598, 2608, 2619.

4. *Comptes de l'Hôt.*, p. 12 et 13 : A Paris..... fu compté de la despense des six offices de l'ostel du Roy pour le mois d'octobre l'an dessus dit contenant xxxi jours, en la présence de monseigneur Pierre de Villiers chevalier et souverain maistre d'ostel, et messeigneurs Adam de Villiers, Arnoul de Puisieux et Guillaume Gaillonnel, chevaliers et maistres dudit hostel.

5. *Comptes de l'Hôt.*, p. 188 : massons..... oultre la tâche qui leur avoit esté baillée par messire Pierre de Villiers.

6. Prisiis ipsi intererant. Ordonn., t. V, p. 481. — Vide Ordonn., t. IV, p. 461; *Comptes de l'Hôt.*, p. 6. In mandato quodam anni 1312 ubi de prisiæ jure moderando mentio fit, legitur : « l'avons fait jurer au maistre de nostre hostel et aux officiers de nos mestiers ». Arch., P, 2289, p. 402.

nibus aulæ præsident [1]. Imo quarumdam rerum exercent cognitionem, delictorum scilicet, si quæ in prædiis regalibus aut a domesticis admissa fuerint, non tamen sine jurgio et controversia jurisdictionem servantes [2].

Multiplicatis ita negotiis et crescente in dies Hospitio, crevit etiam domesticorum istorum numerus, ut ætate Caroli in duodecim extenderetur; hi tamen non una in aula obversabantur [3], sed tres eorum vicissim trimestri spatio muneribus fungebantur.

Omnes, nisi origine, conditione saltem et gratia principis pollebant; militiæ omnes addicti [4].

§ 6. — De Obsonatoribus.

Disjungendi sunt hinc Panetarius Franciæ, illinc regis Panetarii [5]. Prioris nempe munus, ut antiquius est, ita nonnisi ad dignitatem componitur, veteris sub forma tituli, cui agendi copia paulatim ablata est [6].

Quid ergo? Apparatus causa, diebus Paschæ et Nativi-

1. *Gautier de Sibert*, in Leber, t. VIII, p. 88; *Mémoires d'Olivier de la Marche*, t. II, p. 355.

2. Anselme, t. VIII, p. 311. Frequens autem fuisse de jurisdictione, maxime cum ecclesiis, certamen, indicant *Cart. des r.*, 1298, 1300, 1301. Vide Arch., O¹ 751, nº 1; cf. O¹ 752, p. 34; Arch., K, 1713, nº 2; *Gouge de Longuemare*, in Leber, t. VIII, p. 217 et seq.

3. *Nouv. comptes de l'arg.*, p. 241, 242, 249, 250; *Comptes de l'arg.*, p. 13 et passim.

4. De Gileto Malet, vide infra, p. 79; Nicolaus Braque, ut videtur, nonnisi militiam adeptus Magister Hospitii factus est. *Comptes de l'arg.*, p. 165: Messire Nicolas Braque, chevalier nouvel; p. 153, 154: chevalier et maistre d'ostel.

5. Anselme, t. VIII, p. 606, 607.

6. De Radulpho de Raineval, Franciæ Panetario, vide Anselme, t. VIII, p. 613 et seq.; *Mand.*, pass.; Froissart, t. V, p. lvi; Froiss., B, I, ii, § 344, 389; *Chron. normande du XIVe siècle*, p. 197.

tatis, aut in festo Omnium Sanctorum, mensæ regiæ ministrat, emolumentis veteri de jure acceptis[1]. Hæc præter, in quædam mercatorum collegia arbitrium habet, in pistores scilicet parisienses, ipsius jurisdictioni subditos, cum vectigalium quorumdam præstatione, quibus tamen privilegiis, obstante et reluctante præposito Parisiensi, fruebatur[2].

Res autem ipsas Hospitii tractant Panetarii regis, quos quarto decimo sæculo quatuor fuisse comperimus[3]. His cura panem aut frumentum emendi, prout res exigunt, aut ea quoque quæ ad ministerium necessaria sunt[4], his mensam regalem parandi, his eleemosynas dispensandi, decimas nempe panis aut farinæ. Inde, derivato a privatis ad publica munere, commeatus jussu regis comparandi provinciam adipiscuntur, urbem quamdam classemve cibariis munituri[5]. Non officio modo Magistris Hospitii inferiores, sed propria conditione erant, cum plerique aut inter armigeros aut inter homines minoris ordinis eligerentur[6], ipsi tamen inferioribus ministris fabriles operas mandantes[7].

1. *Mand.* 355 : Jubet Carolus persolvi Radulpho de Rainneval « la somme de quarante livres tournois, lesquelz lui sont deuz pour son service de la feste de Toussains derrainnement passée ». — *Comptes de l'Hôt.*, p. 16 et 17.

2. Anselme, t. VIII, p. 603, 611, 679-683. — *Liv. des Mét.*, p. xxiv et p. 7.

3. *Mand.* 1691 ; Anselme, t. VIII, p. 617 ; Le Grand d'Aussy, t. III, p. 348. *Mand.* 1929. Cf. Martène, col. 1359.

4. *Id. ib.*; *Comptes de l'Hôt.*, p. 62, 65. Martène, col. 1359.

5. *Mand.* 636 : Comme pour certaines et justes causes.... aions ordenné garnir et advitailler nostre ville de Hareffleu de grains et autres choses neccessaires pour la garnison, seurté et gouvernement d'icelle, et pour ce aionz commis nostre amé panetier Richart de Cormeilles pour prendre, achater et paier deux cenz muys de grainz ou environ..... *Id.*, 693, 694, 950.

6. *Mand.* 1105 ; Anselme, t. VIII, p. 618.

7. Martène, col. 1359. Cf. Le Grand d'Aussy, t. III, p. 353.

In Buticularia quoque nudus titulus a muniis secernetur : nudus titulus Buticularii est qui, postquam dignitate et auctoritate adeo prævaluerat, quarto decimo sæculo ad nihilum fere redactus fuerat, ita tamen tunc etiam insignitus, ut plurimum opinionis retineret, inter illustrissimos regni optimates semper electus, et, anno 1384, domino de Coucy Buticulariam rex condonaverit post oblatam Constabulariam et repudiatam [1]. Johannes autem de Sarrebruck qui, regnante Carolo, officio decoratus fuit [2], vir maximi nominis existimationisque summæ, plurimum apud regem potuit, ut argumento sunt et legationes crebræ, et gravissima negotia credita, et dona in hunc extra modum cumulata.

Obiter dicendum de rege, præsente Buticulario, sacrato, de solemnibus, adstante eo, celebratis [3], cum munus e privilegiis præsertim constet : ut Buticularius peculiari quodam jure in præsidem Cameræ computorum erigatur [4], ut Parium judicio intersit [5], ut in vinariarios jura exerceat [6], ut, jurantibus in manus regis quibusdam abbatibus, centum solidos a jurante percipiat [7].

Proximus, non autem similis est Franciæ Scanciona-

1. Anselme, t. VIII, p. 542.

2. Vide *Mand.*, pass.; Martin, *Recherches sur Robert de Sarrebruck* in *Posit. des thèses de l'Éc. des Ch.*, 1885, p. 133 et seq.; Anselme, t. VIII, p. 529 et seq.; Ordonn., t. IV, p. 681, t VI, p. 581.

3. Jubet rex Buticulario persolvi mille et quingentas libras Turonensium « que nous lui avons donnez pour en lieu du droit à li appartenant, à cause de son dit office de bouteillier, pour la coupe et aiguiere du jour de nostre sacre et de nostre feste de nostre venue à Paris ». *Mand.* 49.

4. Anselme, t. VIII, p. 529, 547.

5. Anselme, t. VIII, p. 596.

6. Anselme, t. VIII, p. 600, 601.

7. Anselme, t. VIII, p. 596.

rius [1], licet ipse honorificis quoque fungatur officiis, regi tamen additus, et iisdem fere subnixus prærogativis.

Septem Scancionariis committitur officium lagunæ [2], sive vinum emendum sit, sive inter epulas ministrandum. Hoc quidem officium, quanquam non magni momenti esse videatur, scutigeros tamen decorat, notandumque est paucos ex his qui in Hospitio agunt, pluribus donis a rege fuisse auctos [3].

Imo autem, qui princeps Scancionariorum alios auctoritate regebat, is tum in Hospitio, tum extra Hospitium regi assiduus, altiorem dignitatis gradum assequebatur. De Johanne de Montigny nihil aliud comperimus quam eum has partes tenuisse, donec vita excesserit, sed Helionem de Neillac et Carolo gratum et pollentem acta scriptaque indicant, qui, anno 1382, in militiam et in Cambellanorum ordinem promotus est. In aula spectabilem testatur Eustacius Deschamps, dum de eo non sine adulatione mentionem facit [4].

Vix est ut nihil commune cum coquina Coquum Franciæ

1. *Comptes de l'Hôt.*, p. 17; ANSELME, t. VIII, p. 539. Inter Buticularium Scancioniarumque nonnunquam litigatum fuisse indicat ANSELME, t. VIII, p. 597.

2. MARTÈNE, col. 1360. De adjutoribus Scancionariorum vide LE GRAND D'AUSSY, t. III, p. 349 et seq.

3. *Mand.* 176, 992, 1024 (De Philippo de Calleville quem militia rex decoravit, sexcentis libris parisiensium annuis ditavit, bonis proscriptorum amplificavit, adeo ut intercesserit camera compotorum). *Mand.* 1068, 1459; *Mand.* 334 : Une maison.... laquelle nous avons donnée à nostre amé filleul Charles Boitel, filz de nostre amé eschançon Jehan Boitel.

4. *Mand.* 1408, 1462, 1588; DESCHAMPS, t. III, p. 329; IV. p. 261 : Tres douce fleur, Elyon de Nillac. ANSELME, t. VIII, p. 667. Johannes de Montigny anno 1366 an 1376 mortuus fuerit incertum. BIBL. NAT., *fr.*, 4613, p. 295; *Mand.* 715, 1199.

habere disseram [1], cujus titulo, eminentissimis tantum viris credito, nihil aliud inest, quam ut ministros in officio moderentur, et quibusdam in rebus regi appareant [2]. Iidem a Coquis regis debent segregari [3].

Coquina in ipsa operantur scutiferi duo [4], quorum tamen unica provincia est curare ut epulæ familiaribus aut domesticis, quibus in aula cœnandi jus est, apponantur, præsuntque in primis Coqui numero quinque, cibis emendis parandisque invigilantes, innumerorum adjutorum turba inter fornaculas circumcincti [5].

Quantum autem honestata fuerint medio ævo ministeria quædam, quæ nisi viliora, saltem humiliora hodie videntur, illud in primis comprobat, quod, omisso etiam Coquo Franciæ, scutiferi coquinæ, imo Coqui, quin et infimi adjutores, nec sine existimatione, nec sine gratia quadam officium exercuerunt, multique ex his, aut beneficio a rege accepto, aut facultatibus auctis floruerunt [6]. Quod si Johanni Froissart narranti missum a Carolo in Angliam Valletum quemdam coquinæ, indictum bellum

1. Anselme, t. VIII, p. 825, 830, 831. Natalis de Wailly, in Joinville, *Vie de saint Louis*, append. 5°, de Coquo disseruit; utrum tamen de Coquo Franciæ an de Coquo regis loquatur mea sententia non liquet.

2. *Comptes de l'Hôt.*, p. 17.

3. Anselme, t. VIII, p. 827-829.

4. Martène, col. 1361; *Mand.* 1390.

5. *Mand.* 1369; *Comptes de l'Hôt.*, passim; Le Grand d'Aussy, t. III, p. 353.

6. Froissart, t. V, p. xxxiii; Soc. de l'Hist. de Paris, 1882, p. 29 : Je Pierre de Chailliau ecuyer de cuisine du roy avoue tenir en fief desdicts religieux ma justice et seigneurie comme elle appartient à moi en la ville d'Iscy. *Mand.* 1390 (Carolus Scutifero coquinæ 500 francos condonat ad nuptias contrahendas); in *Mand.* 1369, leguntur hæc : vous apperra estre deu a feu Girart Retel jadis queus de nous..... pour cause de..... cent royaux d'or qu'il nous presta au temps qu'il vivoit. *Cart. des r.*, 1434.

denuntiaturum, nulla fides adhibeatur, hoc tamen narratum fuisse, nec ita indecentiæ ductum ab eo qui nihil morum sui temporis ignoravit, maximo argumento est[1].

De Fructuaria pauca dicenda sunt, quam regunt quatuor Fructuarii [2].

Ex his quos supra enumeravi, multi extra cœnaculum et in postscænio, ut ita dicam, agunt, quidam tamen mensæ ipsi ministrant, munus cum domesticis cujus peculiare est regi cœnanti apparere ineuntes [3]. In his milites carnem scindentes (gallice chevaliers-tranchants) primoribus domus regiæ exæquantur, nonnisi in celebratissimis conviviis adhibiti [4]. Continuum vero officium præstant scutiferi carptores [5], aut Valleti, quibus tantum gratiæ et amplitudinis erat, ut nec Cambellanis ipsis, vel saltem Scancionariis multo inferiores sæpe viderentur [6], et custodienda castella acceperint, ubi quosdam eorum nobilibus viris substitutos fuisse accipimus [7]. Ultimo tandem gradu,

1. Froissart, t. VII, p. 109, 333; S. Luce rem satis ingeniose tractat, conlato mandato uno Caroli Quinti (*id.*, p. xlv).

2. Martène, col. 1363, 1364. Bibl. de l'Éc. des Ch., t. XXVI, p. 233 : Comitabatur unus Fructuarius Aurelianensem ducem, qua die iste a duce Burgundiæ interfectus cecidit.

3. *Comptes de l'Hôt.*, passim.

4. *Comptes de l'Hôt.*, p. 16 et 17 : Gaiges de chevaliers Bannerez..... Messire Huistasse de Campremy, chevalier tranchant, pour ses droiz et services du jour de Noël qu'il servi le Roy au bois de Vincennes, ... Argent, 32 l. p. — *Id.*, p. 201; *Mand.* 356, ubi Consiliariis regis annumeratur.

5. Vide Le Grand d'Aussy, t. III, p. 345 et seq.; *Mand.* 1419 : escuier servant de plat devant nous.

6. *Mand.* 1458, 1654.

7. *Mand.* 1090 : Nous, confians à plain du senz et de la loyaulté et diligence de n. a. vallet tranchant Jehannet d'Estouteville, ycelui avons fait et establi.... capitaine et garde du chastel de Vernon, duquel a esté et estoit nagaires capitaine nostre amé et feal chevalier Hue de Villers, lequel nous avons fait capitaine de nostre chastel de Verno-

nonnulli inveniuntur pueri, quibus patellas afferendi cura committitur [1].

§ 7. — De Scutiferia et Venatoria.

Non jam quærendus est hic Constabularius, qui tamen e stabulo regendo, ut nomen, sic et munus olim traxerat; is enim, Caroli Quinti temporibus, ne honorario quidem officio in Scutiferia fungitur, quæ, a Ludovico Nono, in privatum ferme negotium evaserat [2].

Plurimum momenti in Hospitio obtinet Scutiferia, vel quia equorum cura non adeo a militaribus rebus, medio præsertim ævo, aliena erat, vel quia plerique reges, ut solebat vir quisque nobilis, equestri exercitatione maxime delectabantur, et pro liberali ingenuoque habebatur quidquid ad corpus confirmandum attingebat, vel etiam quia in ipso ministerio multa continebantur : armaturæ scilicet et omnigeni bellici apparatus custodia [3]. Qua ratione creverit hoc munus, quem locum sexto decimo sæculo usurpaverit, quibus et cujus conditionis viris fuerit permissum, nemo nescit [4].

niel. *Id.*, 1095. Nota ipsius Castelli Vernoniel eumdem Johannem d'Estouteville custodiam postea suscepisse. Bibl. nat., *fr.*, 26016, nº 2709.

1. *Mand.* 1691 (enfans servans d'escuelle). Eorum autem quisque non minus quam francos centum dono accipit.
2. Vide Anselme, t. VIII, p. 512.
3. Colardus de Tanques Magister Scutiferiæ, armorum etiam quædam custodienda accepit, quæ cives Parisienses, oppressis rebellibus et rege Lutetiam anno 1382 regrediente, vetabantur apud se habere. Arch., P, 2296, fº 115. Lege Scutiferiæ recognitionem anno 1422 factam, Douët d'Arcq. *Pièces inéd. du règne de Ch. VI*, t. II, p. 393 et seq.
4. Apparet anno 1402 titulus iste : « la Grant Escuirie ». Douët d'Arcq, *Comptes de l'Hôt.*, p. 394.

Duplicem personam gerunt Scutiferi, modo res stabuli administrantes, modo regi ipsi addicti, unde etiam Scutiferi ad corpus vocantur[1].

Principatum obtinet Scutiferiæ Magister, ipse etiam ad corpus Scutifer[2], ex quo tota stabuli opera pendet : equi emendi[3], curandi et nutriendi, quo fit ut pecunias acceptas arbitratu suo impendat, rationesque, omissis Hospitii Magistris, coram Camera computorum exhibeat[4]; armatura, qua rex induitur, tuenda aut reficienda; arma alia servanda et, si bellum aut ludicri certaminis spectaculum instet, paranda[5]; feriarum etiam pompa instruenda; hæc præter, rex quasi circumeundus et comitandus[6].

Infra sunt armigeri in Scutiferia agentes quos componens Hospitium Philippus V, quatuor numero esse voluerat, duobus accedentibus Marescallis[7], quorum dum

1. *Mand.*, passim.

2. *Mand.* 188, 330, etc.; Anselme, t. VIII, p. 469.

3. Sive ad usum regis, sive ad dona largienda. *Mand.* 1704, 317 : Maistre de nostre escuierie nous vous mandons que a cest present Landit vous achetés un palefroy souffisant pour Pierre de Viliers.

4. *Cart. des rois*, 1571 : *Mand.* 329, 296, 295 : Gens de nos comptes..... alloez ès comptes et rabatez de la recepte de n. a. escuier de corps et maistre de nostre escuierie Martelet du Mesnil un coursier bay cler, merqué en la cuisse dreste, qui fu acheté à Paris ou mois de février derrenierement passé..... lequel nous avons donné.... *Id.*, 1643 (Jubet rex per mensem mille francos aureos Colardo de Tanques tradi).

5. Bibl. nat., *fr.*, 26014, n° 2081; *Mand.* 188 : Jubet rex Magistro Scutiferiæ 400 francos solvi « pour faire garnir nostre espée, nostre bacinet à couronne, nostre mace et pluseurs autres menues choses appartenantes a nostre harnois ». Vide etiam *Mand.* 1564.

6. Aut officiosa, quædam agenda : Colardus de Tanques, comitante Burello de la Rivière, equum Imperatori Lutetiam venienti, jubente rege, obtulit. *Gr. chron.*, t. VI, p. 366.

7 Martène, col. 1364.

munus aut minuebatur aut mutabatur, crevisse contra videtur numerus armigerorum. Horum, regnante Carolo Quinto, nomina evolventi occurrunt nonnulli ex illis qui plurimum de rege et de patria bellantes meruere [1]. Quosdam etiam e prædonum ducibus, dum ad se allicere conlatis in eos maximis pecuniis curaret, hoc titulo Carolus ornavit : in his Alanum istum Taillecol, dictum quoque l'Abbé de Malepaye, qui postquam, latro inter latrones, Galliam fœde diripuisset, deinde ad meliora reversus, magna cum laude et virtute stipendia fecit [2].

Extremo loco Valleti Scutiferiæ, ii ipsi aliqua in regis clientela positi [3].

Venatoriæ ministerio non minimus debebat esse locus in Hospitio regum qui, excepto forsan Carolo Quinto, venatu ante omnia gaudebant, addito etiam quod, quarto decimo sæculo, ludus iste exquisiti aliquid et elegantis adeo assumpsit, ut inter plurima de hac arte scripta, non dedignaretur comes ipse Fuxi de persequendis captandisque feris librum condere [4].

Venatoriam gubernandam suscipit Magister Venator regis [5], qui non modo res componit, subditosque in officio regit, sed etiam impensas omnes persolvit [6]. Superior ille

1. Vide *Mand.* (V° Alain de Mauny); *id.* (Jehan de Chiffrevast); Froissart, VII, p. L, p. 115 (le Poursieugant d'Amours).

2. *Mand.* 103 : Nous envoions nostre bien amé escuier d'escuierie l'abbé de Male Paie, avec lui quarante cinq glaives et vint archiers de sa compaignie, es parties de Coustentin, pour nous servir en ces presentes guerres. De ejus præclare factis confer *Chron. de du Guesclin*, II, p. 184, 223, 231, 237. Vide tamen Bibl. Éc des Ch., t. III, p. 279.

3. *Mand.* 375.

4. Conf. inter alia Bibl. nat., *fr.*, 616.

5. Anselme, t. VIII, p. 683 et seq.

6. *Mand.* 69, 70 : Comme nous vous aions mandé par nos autres lettres que, pour paier les gaiges des gens de nostre vénerie et pour

Magistro Scutiferiæ videtur, utpote qui sæpe inter milites eligatur, et curatoribus aquarum et silvarum, Carolo Quinto præscribente, quadam tituli ipsius prærogativa aggregetur [1].

Plurimi insequuntur regis Venatores, non minus quam octo, anno 1350, ubi inter eos et ministros gallice dictos « escuiers du deduit » discrimen est [2], subterque adjutores Venatoriæ, de quibus non est quod loquar [3].

Falconarii nescio an magis etiam in honore fuerint, cum nullus venandi modus gratior fieret quam qui falconum usu in hoc instructorum agebatur : nullus enim invenitur Magister Falconarius qui non e militibus fuerit [4], sub quo serviunt sex Falconarii, nonnullique adjutores. De Lupariis autem, ab anno 1333 ad annum 1466, nihil in indicibus reperitur [5].

paier les despens de nos chiens vous baillissiez et delivrissiez la somme de deux cens frans, dont vous n'avés rien fait et avez rescript..., que nosdictes lettres vous ne povés accomplir pour la grant charge que de nouvel nous vous avonz commise, nous vous mandons que..... vous baillez et delivrez a nostre bien amé escuier Jehan de Courguilleray, maistre de nos deduiz. Bibl. nat., *fr.*, 26006, n° 149.

1. Anselme, t. VIII, p. 686, 688. — Ordonn., t. VI, p. 141 : Le Maistre Venneur de nostre Vennerie, qui de son droit doit estre Maistre de noz dictes forez.

2. *Nouv. comptes de l'arg.*, p. xxiii : Veneurs du roy (sequuntur nomina in quibus : Monseigneur Regnaut de Giri, monseigneur Guillaume Poulain) — escuiers du déduit. *Mand.* 581, 1429.

3. Octo hujusmodi ministeriales enumerantur in *Nouv. compt. de l'arg.*, p. xxiv.

4. *Comptes de l'Hôt.*, p. 18. Messire Enguerran de Dargies, chevalier, maistre fauconnier du Roi......; Anselme, t. VIII, 743, 748 et seq.; *Mand.*, p. vii; Anselme, t. VIII, p. 779, 780.

5. Anselme, t. VIII, p. 782.

CAPUT III

DE CUBICULO REGIS

§ 1. — Quid sit Cubiculum.

Quid sit Cubiculum (gallice Chambre) jam fere intelligere licet ex his quæ supra enumerata sunt, ita ut Cubiculi curam facile a Scutiferia, vel Obsonatoria aliisque similibus distinxeris, et in illa omnia complectaris quæ ad intima domus regiæ præcipue spectant [1]. Discretionem sane fieri mandata ipsa, quibus constituebatur Hospitium, demonstrant, quando hinc cubiculum, illinc sex ministeria

1. LITTRÉ, *Dictionnaire*, v° Chambre. FROISSART, t. VII, p. 70, p. 186; t. III, p. 168 : Cette meisme nuit..... quant toutes ses gens se furent partis de lui et qu'il fut demorés dales les chevaliers de son corps et de sa cambre, il entra en son oratore. — Nota verbo isti « Chambre » aliam inesse significationem quæ tamen cum iis quæ hic expromuntur non adeo discrepat. *Comptes de l'Hôtel*, p. 85 : Guerin Briquet, crochetier, demourant à Paris, pour II^c crochez bastars, achetés de lui pour tendre les chambres du Roy et de Mons. de Valois à Meleun. *Inventaire*, p. 362 : Inventoire des chambres de tapisserie et parements. Chambres et tappiz. Premièrement : Une chambre de veluiau azurée à fleurs de lys, garnie de ciel, de dossier, de coulte pointe, de banquier brodé et de troys custodes de zabatiz azuré..... Hic de vestium supellectile agitur qua instruebatur ea pars ædium ubi rex quiescebat. — Vide *id.*, p. 362-371.

componant, idem testantur rationes in quibus expensæ domus regiæ enumerantur[1].

Ut Hospitium, ita et Cubiculum mobile, ut ita dicam, erat ; nam si ædes ipsas murosve quibus consistunt excipias, ea fere omnia quæ ad cubilis usus adhibentur, vestes dico et tapetes, plurimaque ejusdem generis, si quando rex locum mutabat, cum illo transvehebantur ; quam curam suscipiebant famuli ad hoc specialiter instituti, quos forrariorum nomine vocabant, multiplici supellectile instructi[2].

De minimis Cubiculi apparatoribus, quales sunt summularii ad corpus, pedisequi, corporis lotarii, custodes linteorum aut jocalium, hic mentio tantum fiet[3] ; de istis verba faciam, qui præcipuas in cubiculo partes agunt, quos servato munerum ordine sic tractabo : Cambellanos, deinde Hostiarios et Servientes armorum, Valletos denique Cameræ.

§ 2. — De Cambellanis.

Sub hac specie tres tituli distinguantur necesse est : Camerarius scilicet, Cambellanus Franciæ, Cambellani regis.

Vetus honorificumque munus Camerarii est, quod, a principibus gentis Borboniæ, e regio sanguine ortis, prærogativa quadam usurpatum, gessit Ludovicus II Borbo-

1. Rationibus ad cubiculum spectantibus adscribuntur conditanea, quæ nempe salutantibus in cubiculo offerebantur. *Comptes de l'Hôtel*, p. 93 : Gillet le séneschal, espicier et vallet de chambre pour II^{c} IIII^{xx} IIII livres et demie de plusieurs espices confites, anis, sucre rosat..... despensées ès chambres le Roy, ou mois d'octobre...

2. Vide *Comptes de l'Hôtel*, p. 85 et seq.

3. *Mand.* 1514, 1620, 1831, 1706, 1424 ; *Invent.*, p. 350.

nensis, ab anno 1356 ad annum 1410, quo vita defunctus est[1]. Cum vero privilegiis potius fruatur Camerarius quam ministerio fungatur, et in solemnibus tantum partes quasdam, optimatium more, agat, satis erit si memoraverim eum Paribus judicantibus assidere, chartas regias subscribere[2], jurisdictionem Lutetiæ arbitriumque in quædam mercatorum collegia, sutorum nempe, pellionariorum, similiumque aliorum sibi vindicare[3].

A Camerario differre Cambellanum Franciæ auctor est Anselme, indicantque nonnulla documenta[4]. Qui munia quædam aulica, sed titulo tenus, exercebat; regi tamen in quibusdam festis conviviis ministrabat[5]. Huic, sicut Camerario[6], jura quædam in nonnulla opificum corpora[7]. Quo in officio versatus est, regnante Carolo Quinto, Johannes de Melun, Tancarvillæ comes, qui publicis negotiis non mediocrem operam navavit[8].

Cambellani contra regi ipsi serviunt, cum eo quotidie, ut ita dicam, conversantes, ea tamen ratione ut vices alternent. Quot numero fuerint non liquet, eos tamen plurimos fuisse non dubitabitur[9].

1. Anselme, t. VIII, p. 408. Vide *Inventaire des titres et documents de la maison de Bourbon*, 2924, 2967, etc.

2. Anselme, t. VIII, p. 431, 433; *Nouv. Comptes de l'argent.*, p. vii.

3. Anselme, t. VIII, p. 431 et seq.; Soc. Hist. Par., 1883, p. 129; Bibl. Ec. des Ch., t. XXIII, p. 209; *Livre des Mestiers*, I, tit. lxxvi, lxxxiv.

4. Anselme, t. VIII, p. 437; *Œuvres de Rigord et de Guill. le Breton*, t. I, p. 40, 175.

5. *Nouv. Comptes de l'arg.*, p. 253.

6. Ordonn., t. I, p. 296.

7. Anselme, t. VIII, p. 445. Vide Gautier de Sibert, in Leber, t. VIII, p. 84.

8. *Mand.*, passim; Anselme, t. VIII, p. 314; Froissart, t. VII, p. 238.

9. Ludovico IX Hospitium componente, quatuor Cambellani fuerunt, quorum numerus paulatim crevit, adeo ut anno 1396 non minus

Horum officium ante omnia cubile custodire, adeo ut regi, absente quidem regina, ad pedes accubent [1]; regem comitari quocumque iter faciat; adire cum mensæ assidet, ut illi mappa et aquimanile offerantur [2]; externos principes salutare aut excipere [3], quæ omnia munera in augmentum dignitatis aut commoditatis regiæ conspirant. Iisdem in summa familiarissime reges utuntur, utpote quos in secretum suæ vitæ admittant [4].

Omisso quod nullus pæne inter Cambellanos non exercuit militiam, quem locum obtinuerint satis demonstrat adscitus horum numero Bertrandus du Guesclin, eodemque in officio retentus, donec ad Constabulariam promotus est [5].

Præest primus Cambellanorum, cujus partes egerunt Johannes de la Riviere, postque obitum ejus, frater Burellus, quem ab anno 1370 ad annum 1380 munere fungentem comperimus, auctoritate opibusque mirum in modum auctum.

De quo, ut exacto aulicorum exemplari, narrandum est, breviter tamen, ne hujus operis fines excedantur [6]: inde

quam septuaginta (?) Cambellani indicentur. Anno autem 1387 numerus ad octo redactus est (Godefroy, *Hist. de Ch. VI*, p. 708 et seq.), quorum duo per menses officio fungebantur.

1. Luchaire, *Instit. mon.*, t. I, p. 171; Ordin. Hospitii, ann. 1317, Martène, t. I, col. 1352; Froissart, t. VII, p. 186; Christ. de Pisan, I, ch. xvi : rendent joye, a son lever, a ses chambellans et autres serviteurs deputez pour son corps. Ordonn., t. I, p. 670.

2. Le Grand d'Aussy, *Vie privée des Français*, t. III, p. 312.

3. *Gr. Chron.*, t. VI, p. 369, 373, 382, 405-406. Chr. de Pis., III, 32.

4. De juribus quæ Cambellani exercebant, Cf. Ordonn., t. I, p. 296; V, 170; *le Livre des Mestiers*, I, tit. lxxviii, lxxxiv.

5. *Mand.* 7 : Nostre amé et feal chevalier et chambellan. Bibl. nat., *fr.*, 26006, nº 39; *Mand.* 366, nostre a. et f. chambellenc. — *Mand.* 728 (21º die novembris 1370), nostre connestable.

6. De Johanne de la Rivière vide : Froissart, t. V, p. xxxiii, t. VI,

ab anno 1364, militis Cambellanique titulis jam decoratus, in Flandriam, ad Comitissam, negotiandi causa, missus est, nec multo post, beneficiis a rege ornatus, quibus accedebant privilegia quædam muneri addita, cum argenteas patellas, in quibus poma regi, prima die quadragesimæ, offerebantur, Cambellanus sibi vindicaret, quarum in locum nummi, centum nempe libræ turonensium, plus minusve, imputabantur. Qua auctoritate frueretur Burellus, testis est scriptor ille, qui Bertrandi du Guesclin vitam poetico sermone narravit, affirmans idem esse Burellum, idem Carolum alloqui. Neque ipse negotio militari abstinuit, cum anno 1373 armatis præfuerit, nec sibi adeo pepercit, si quando de regis Galliæque utilitate ageretur, qui, anno 1371, cum multis Caroli Consiliariis aut familiaribus, pro rege centum millia librarum Avinione mutuante prædes fuerit, aut anno 1375, eidem, ut Castrum Sancti Salvatoris redimeretur, pecuniam suppeditaverit. Anno autem 1375, ad dominum de Coucy transiit, experturus an vellet illud assumere, ut latrones consociatos in

p. xlv, p. 140; *Mand.*, passim.; *Cart. des r.*, 1427, 1430; Ansélme, t. VIII, p. 445; *Gr. Chron.*, t. VI, p. 244. — De Burello : Luce, *Du Guesclin*, p. 17 ; Froissart, I, ii, § 386, 389, 395; *Gr. Chron.*, t. VI, p. 357, 359, 366, 372, 456; *Chron. de du Guescl.*, v. 17107 et seq., 17750 et seq.; *Mand.*, passim.; *Cart. des r.*, 1443, 1470; Delisle, *Collect. Bastard d'Estang*; Delisle, *Hist. du chât. de Saint-Sauveur*, p. 265, 297, 315; *Inv.*, p. 282; *Chron. du bon duc Loys de Bourbon*, p. 112 : Le sire de la Rivière avoit mis discencion entre le roi et le bon conestable, faisant entendre au roy que le conestable, messire Bertrand de Claiquin, estoit de la bande du duc de Bretaigne, et tout ceci faisoit la Rivière pour faire le sire de Clisson conestable....., que ce fut merveilles pour le sire de la Rivière; et tant que tout le monde le commença à haïr. — Lavisse, *Revue hist.*, t. XXVI, p. 278; Christ. de Pisan, III, 21, 71. — *Testament. Caroli Quinti,* ubi jubet rex Burellum juxta se sepeliendum « au plus près de la sepulture de nostre corps se il lui plest ».

Alsatiam abduceret, dein ad comitem Flandriæ, arcana ei traditurus, post, belli rebus iterum immixtus, cum Bertrando in Normannia militavit, anno tandem 1379 in Britanniam perrexit ut regionem occuparet.

Hæc inter, Cambellani munere fungebatur, publicisque aulica officia conjungebat. Anno nempe 1377, quo intravit Galliam Germanorum Imperator Carolus IV, regem invisurus, in summam gloriam et potentiam elatum, quem ruina calamitatibusque obrutum, viginti vix annis elapsis, receperat, cum ad id rex animum intenderet ut dignum et se et tanto hospite apparatum instrueret, Burellus ad Imperatorem obviam missus est, illumque ad Sanctum Dionysium vadentem, Lutetiamque intrantem comitatus est.

Quæ tamen obscurat conceptum adversus Bertrandum du Guesclin odium, et obliqua insectatio, et Carolo in aurem insusurrata criminatio, ut a tanto viro tamque merito regem alienaverit. Quiquid perambigui hic manet, Carolum totum, Bertrando remoto, quasi occupavit, a quo testamenti exsequendi curam, locumque in consilio Caroli Sexti tutelæ participi accepit; eum denique morientem ultimo amplexu tenuit.

Quod si aliis Cambellanis nec tantum auctoritatis sit, nec tantum ponderis, in eos tamen voluntas regis adeo inclinat, ut quibus beneficiis cumulati fuerint vix enumerare possim [1]. Necnon etiam publica negotia aggrediebantur, militaria in primis capessentes, utpote qui, sive natu nobiles, sive militia decorati, armis præcipue gauderent. Nullum ergo inter eos pæne reperieris qui Galliæ

1. Vide in *Mand.*, Guillelmum de Melun, Philippum de Calleville (in primis 524, 540, 839, 1023), Philippum de Savoisy, etc.

adversus Anglos luctanti non fuerit auxiliatus. De Bertrando du Guesclin verba facere plus quam supervacaneum. Occurrunt autem Johannes de Berguettes, in prælio apud Najeram commisso ab hostibus captus [1], Guillelmus de Melun, Brignacii captus, Chiziaci dimicans [2], Johannes de de la Rivière, anno 1364, Aquiniacum ad Auduram obsidens [3], Hutin de Vermeilles, qui plurimis præliis multa cum laude adfuit [4].

Iisdem commissa sunt castella custodienda e quibus, ut e tutissimo propugnaculo, adeo pendebat ea ætate sors belli, Galliæque præsidium et fortuna : Johanni de Berguettes, Wattavilla [5], Guillelmo des Bordes Monasteriolum Senonum [6], Guillelmo de Melun Britolium [7], Hutin de Vermeilles Vivarium in Bria [8].

Nonnulli, rei publicæ administrandæ participes, regis

1. Froissart, t. VII, p. 40, 41.

2. Froissart, t. VI, p. xxvii; *Chron. de du Guesclin*, v. 22443 :

> Et Guillaume de Melun le va bien costoiant,
> Fils du noble conte Tancarville tenant,
> Noblement s'i porta.....

3. Froissart, t. VI, p. 140.

4. Froissart, t. V, p. 4; 1, ii, 393.

5. *Mand.* 451, 501, 877, 1388.

6. *Mand.* 1005; Bibl. nat., *fr.*, 26016, nos 2507, 2529. Vide etiam Froissart, t. VII, p. 120, 171, 208, 212; Delisle, *Hist. du chât. de St-Sauveur*, p. 316.

7. *Mand.* 1756 : Nous desirans le chastel de Brethueil estant a present pour certaines causes en nostre main et gouvernement, estre bien et loyaument gardé, a la seurté et au proufit de nous, du pays environ et de tout nostre royaume, confians a plain du senz, loyauté et diligence de nostre amé et feal chevalier et chambellan Guillaume de Meleun icelluy avons fait, ordené et establi..... Chastellain, capitaine et garde dudit chasteau de Bretheuil..... pour lui, quatre hommes d'armes et douze arbalestiers, que ordené avons estre et que promis nous a tenir et avoir continuelment en la garde et seurté dudit chastel. Vide etiam *Mand.* 1792.

8. *Mand.* 1566, et p. xi. Cf. 1792.

consiliis intersunt, inter quos Guillelmus des Bordes [1], Guillelmus Martel [2], Girardus de Montaigu [3]; multi etiam legationes suscipiunt, sive de internis, sive de externis agatur rebus : in Hispaniam missum Johannem de Berguettes invenies, qui Bertrandum du Guesclin, imminente adversus Anglos bello, in Galliam revocet [4], aut cum regibus Aragoniæ et Hispaniæ de gravissimis negotiis tractet, aut fœdus cum Henrico rege paciscatur [5].

Rerum denique navalium cura, cui præcipuum studium Carolus adhibuit, inter Cambellanos, Hostiarios, Servientesque armorum dividebatur. Penes Cambellanos summa rerum, cui præfuerunt le Baudrain de la Heuse, substitutusque anno 1368 in ejus locum Franciscus de Perilleux [6], et postea Johannes de Vienne anno 1373 [7].

1. Anselme, t. VIII, p. 206.

2. Anselme, t. VIII, p. 208.

3. Bibl. nat., *fr.*, 4613, p. 377 : Chevalier, conseiller et chambellan du roi.

4. *Chron. de du Guesclin*, v. 17126 et seq.; Froissart, t. VII, p. xcvii. His convenienter obversatur inter legatos de pace inter Galliam et Angliam anno 1347 tractaturos, Bartolomeus de Burghersh, Cambellanus Eduardi regis. Froissart, t. IV, p. xxiii.

5. *Mand.* 457 : Nous envoions nos amez et feaux chevaliers François de Perilleux, viconte de Rode, nostre chambellan et admiral de France et Jehan de Rie, et nostre amé clerc et secrétaire maistre Thibaut Hocie, par devers les roys d'Arragon et d'Espaigne, pour certaines granz et secrètes besoignes que nous leur avons enchargées et qui moult touchent l'onneur et proffit de nous et de nostre royaume. Cf. Bibl. Ec. Ch., t. XLVII, p. 491, 496, 500 et seq. (ann. 1400).

6. Froissart, t. V, p. lxvii; *Mand.*, p. v; *Gr. Chron.*, t. VI, p. 253 : Et environ quinze jours devant, le roi avoit fait amiral de la mer messire François de Perilleux et en avoit osté le Baudrin de la Heuse. *Mand.* 457, 458. Cf. 740.

7. De Johanne de Vienne vide Terrier de Loray, Jean de Vienne, amiral de France; *Mand.* 501, 1007, 1009. Anno 1377 Johannes de Vienne ad regem Henricum legatur. *Mand.* 1468; Bibl. nat., *fr.*, 26014, n° 2069; Delisle, *Hist. du chât. de St-Sauv.*, p. 187; *Cart. des r.*, 1606.

Virorum ergo illorum multiplex, ut ita dicam, vita, quorum tamen alii magis additi aulæ degebant, alii vero rarius, ut videtur, regi appropinquaverunt, accepto, honoris potius quam officii gratia, muneris titulo.

Ex his qui assidua opera gratiam inibant non immerito proferatur Petrus d'Aumont, qui tribus regibus inserviit, Johanni nempe, quo regnante, ab hostibus captus fuit [1], Carolo etiam, cujus Cambellanus fuit, cuique suî tantam fidem fecit, ut filii ipsius nutricius et educator auxiliante uxore eligeretur, unde anno 1380 et patris et filii Cambellanus fuit [2]. Dum tamen intima illa et domestica curaret, a publicis quibusdam non ita alienus erat, sive de legationibus, sive etiam de belli laboribus ageretur [3].

Magis strenuus autem periculisque magis obnoxius videtur fuisse Cambellanus alius, le Baudrain de la Heuse, quem in aula parum egisse credibile est, adeo corpus in

1. *Mand.* 111, 122. Filius ipse ejus, Philippus nomine, a rege Johanne pecuniam acceperat, anno 1360, ut a captivitate redimeretur.

2. Pour consideration et en recompensacion des très bons et très aggreables services que nostre amé et féal chevalier et chambellan Pierre d'Omont et nostre chiere et bien amée la dame d'Omont, sa femme, ont fait et font chacun jour à la très bonne garde et à la belle et bonne nourreture de Charles, nostre ainsné filz, dont nous nous reputons et sommes très grandement tenuz à eulz, nous, pour ce qu'il soit memoire perpetuele de la bonne garde et de la bonne et belle nourreture qu'ils ont fait de nostre dit filz..... (*Mand.* 1010). *Mand.* 1875. Ante annum 1373 eum Caroli adhuc infantis Cambellanum institutum asserit Anselme, t. VIII, p. 207. Cf. Bibl. nat., *lat.*, acq. nov., 184, f° 166 v°.

3. Froissart, t. VI, p. lxviii; *Mand.* 55 : Nous avons ordenez vos amez et feaulz conseilliers Pierre d'Omont, nostre chambellenc, et.... pour aler par devers noz tres chers et amez cousins le duc de Bretaigne et le conte de Montfort, pour certaines besoignes que nous et nostre conseil leur avons enchargiez. *Mand.* 1382 : 200 francs.... pour paier ung coursier que il a entencion d'acheter pour nous servir en noz guerres. Cf. quod de Philippo de Savoisy disseruit Anselme, t. VIII, p. 550-551.

discrimina belli adduxit. Is, anno jam 1356, in Normannia marescallus præerat, prælioque adfuit quo obiit Gothofredus de Harcourt; mox res navales ei creditæ, classisque instructa quæ anno 1360 in Angliæ littus appulit [1]. Eum autem, anno 1368, quo transmarinum officium Francisco de Perilleux translatum est, rex adscivit, qui freno regii equi adstaret [2]; segnius, ni fallimur, ministerium, in quo tamen non quievit. Namque in Borussiam eum perrexisse comperimus, ut barbaris Lithuaniæ populis impugnaret [3], reversus autem ad invisenda Picardiæ et Normanniæ quædam castella missus est [4], dehinc castellum suscepit custodiendum [5].

§ 3. — De Hostiariis armorum.

Cambellanos infra sunt Hostiarii armorum [6], quorum munus tum ad commoditatem regis, tum ad decus et disciplinam aulæ spectat.

Hostiariorum numerus, ab incipiente quarto decimo sæculo, ad id crevit, ut, postquam in ordinatione Hos-

1. FROISSART, t. V, p. XX, p. LXVII; GUILL. DE NANG., t. II, p. 298.

2. *Mand.* 449 : Par consideracion des bons et loyaux services que nostre amé et feal chevalier et chambellenc le Baudrain de la Heuse a fais par lonc temps à noz predecesseurs et à nous.... l'avons retenu, retenons et ordenons pour estre a nostre froin, toutefoiz que nous chevaucherons en armes. Cf. 657 A, etc.

3. *Chron. du Bon Duc*, p. 63, 72, 73.

4. *Mand.* 657 A, 676 B.

5. *Mand.* 1152 : Nostre amé et feal chevalier et chambellanc le Baudrain de la Heuze, capitaine de nostre chastel de Touque.

6. Superiores Servientibus armorum fuisse Hostiarios significat Jacobus de Hangest anno 1365 inter servientes armorum, 1369 inter hostiarios connumeratus. BIBL. NAT., *fr.*, 26006, n° 262; *Mand.* 613. Vide quoque infra de Stephano du Moustier.

pitii anno 1317 edita, tres fuissent enumerati, nonnunquam triginta etiam aut amplius in domo regia, regnantibus Valesiis, indicentur, quanquam sæpissime tentaverint reges arctius illos retrahere [1].

Quod quidem officium non sine honore exactum est, ut intelligi potest e quibusdam eorum quibus fuit commissum : in his Girardus de Grandval, miles, Anthenin de Wargnies militis filius fuere, Guillelmus Cassinel armigeri nobilisque viri titulo decorabatur [2]. Nec obstabat quod rex nonnunquam, tanquam proposito hujus honoris præmio ut ad se quosdam viros alliceret [3], Hostiariis etiam adscribebat quosdam ex illis prædonibus qui, simul ac virtute militari valebant, latrociniis omnibus dediti Galliam adeo infestabant [4].

1. Huissiers d'armes III dont lun sera toujours à court..... et ne se doit partir de court sans congié des mestres sus la poine que len y a mise si comme il est à dessus devisé en la paneterie (Arch., JJ, 57, fº 78). Martène, t. I, col. 1358. — In ordinatione anni 1360 quindecim Hostiarii referuntur, decerniturque neminem in locum defunctorum aut officio abdicantium substituendum, donec numerus ad sex contrahatur (Ordonn., t. III, p. 385 et seq.). Anno autem 1388 ultra normam eos iterum crevisse declaratur, jubeturque non plures esse quam octo, quibus quidem continuum in Hospitio ministerium incumbet (Arch., P, 2296, fº 427 et seq.). In quibusdam ordinationibus annorum etiam 1499, et 1512 indicantur Hostiarii, omissi autem videntur Servientes armorum.

2. *Mand.* 1484, 1466, 1684; Bibl. nat., *fr.*, 26013, nº 1891 : Noble homme Guillaume Cassinel, sire de Roumainville, escuier, huissier d'armes du roi. Vide infra.

3. His congruunt *Mand.* 912, 1089, necnon, dubitatim tamen, *Mand.* 122, ubi de anglico quodam armigero agitur, atque etiam Arch., P, 2293, p. 211, ubi Hostiarius quidam armorum inter rebelles fuisse confitetur.

4. Froissart, t. IV, p. 69 : Et depuis, li rois de France le volt avoir (Bacons) dalès lui, et achata son chastiel vingt mil escus, et fu huissiers d'armes au roy de France et en grant honneur dalès le roy. Nota tamen de Philippo Sexto hic mentionem fieri.

Illorum autem munus cui pleraque cum Servientibus armorum sunt communia, necnon etiam cum Cambellanis, proprie definire difficile est. Illis quoque cubiculum custodiendum, rex tuendus, partes in aula majore apparatu ornanda gerendæ [1]. Rex autem Carolus quatuor eorum corpori suo specialiter addixit, velletne ita sibi magis invigilare, an ceteros ad honorarium munus redigere, incertum [2].

Officio domestico adjiciuntur agenda quædam, quæ quanquam non sint extra privatum obsequium, non omnino tamen intra Hospitii fines terminantur : nuntios ferre, manum rege jubente injicere [3]. Verumenimvero ad res publicas tractandas ministris his rex præcipue utitur, forensium militariumve negotiorum, vectigalium colligendorum fiscique administrandi participibus factis. Non tamen Hostiariis eadem, quæ Cambellanis superioribusve gradu familiaribus, delegantur, ut extra domum regiam et domus ordo ipse servetur.

Quod si Hostiarios de immunitate quadam cum Servientibus cognoscentes [4], missumque in Foresium Petrum

1. Christ. de Pisan, III, 36 : Environ le Roy, tout a pié estoyent ses huissiers d'armes vestus de drap de soye, tout une livrée, leur vergètes en leur mains, en manière que le roy n'estoit approchiez de nulz.... et pour la garde de l'empereur..... avoit le Roy ordonné six de ses chambellans et quatre de ses huissiers d'armes. Vide picturas duas in Cod. Man. Bibl. nat., *fr.*, 2813, f° 470. In unum nonnunquam miscentur Hostiarii et Servientes.

2. *Mand.* 1496, 1611 : Comme pour certaines consideracions qui a ce nous ont meu, nous aions ordené..... quatre de noz huissiers d'armes...., estre continuelment entour nous, pour nous servir en leur office.

3. Froissart, t. VI, p. lix; *Journal de Nicolas de Baye*, p. 80; adde etiam *Gr. chron.*, t. VI, p. 419.

4. *Mand.* 1644 A : Au premier de noz huissiers ou sergens d'armes ou de noz autres sergens qui sur ce sera requis.

Mespin ut tributum redimendi Johannis gratia indictum exigat [1], obiter retulerim, majori documento erunt et Johannes ille Le Mercier qui anno 1369 Hostiariis adhuc adscribebatur, amplissima officia jam consecuturus [2], necnon Stephanus de Cormeilles, qui Normanniam, annis 1369 et 1370, invisit, quibus bellum Anglicum imminebat, resque Galliæ in discrimen adducebantur, vectigalia ad regnum tuendum imposita coacturus [3]. An gravem provinciam et fide atque auctoritate plenam susciperet, documenta legenti satis liquebit.

Inter eos qui legationes exercuerunt excerpentur Baudet de Vauviller in Britanniam [4], Yvo de Keranbars in Hispaniam cum Johanne de Berguettes, anno 1369, missus [5]. Bello tamen plures præcipuam laudem adepti fuere : omissis qui castella munitasve urbes ad custodiam acceperunt [6], nonnulli, suismet ipsi corporibus in acie dimicantes, vitam aleæ certaminum commisere. Quos supra eminet armiger quidam Britonus nomine Kerlouet, qui

1. *Inventaire des titres*, etc., n° 2914.
2. *Mand.* 503.
3. Bibl. nat., *fr.*, 26008, n° 664; *Mand.* 701; *Mand.* 734 : Nous, considerans le très grant besoing et nescessité qu'il est d'avoir finance pour le paiement des gens d'armes que nous tenons, et que de neccessité nous convient mettre et tenir sur les champs à l'encontre de nos anemis plus que autreffoiz, et desirans le fait des aides..... estre bien, loyalment et diligenment gouvernez, et affin de nostre peuple relever de pluseurs griefs et oppressions qui fais lours ont esté et sont par les officiers et sergens sur le dit fait, confians a plain du sens, loialté et bonne diligence de nostre amé huissier d'armes Estienne de Cormeillez..... Vide etiam *Mand.* 843.
4. *Mand.* 1517.
5. Froissart, t. VII, p. xcvii.
6. *Mand.*, 677, 1274, 1749, 1832; adde etiam *Mand.* 613, ubi militare quoddam officium explet Jacobus de Hangest, dum conscriptos milites, absente Magistro Hospitii, recenset.

adeo de rege meruit, ut in ipso testamento de illo Carolus meminerit.

Hic, postquam bellum in Hispania, Bertrandum du Guesclin comitatus, gessit, in Galliam anno 1368 redux, in confiniis Pictaviæ militavit, accepto a rege stipendio, castellaque Rupis Pozaicæ et Sancti Salvini invasit. Pugna autem apud Lussacum commissa, qua Johannes Chandos periit, captus, non multum cessavit quin redimeretur, pecuniam Turonensibus ipsis, quibus valde carus erat, suppeditantibus[1]. Tum Castrum Heraldi aggressus, incautum hostem ex urbe depulit, e qua, velut e receptaculo, per totum annum 1371 circumsedentibus Anglis maximum suî terrorem injecit.

Vitam autem Stephani du Moustier perlustret, quisquis intelligere velit quo honorum cursu progrederentur viri quidam, vinculo domestici et familiaris officii Hospitio addicti. Stephanus enim, anno 1359, naves in Angliam moturas, Baudrano de la Heuse auxiliatus, anno 1360, instruebat; paulo post a Carolo in Hostiarium armorum eligebatur, et anno 1365, simul ac Honiflorium et Hariflorium tenebat, percipiendorum in Normannia inferiori vectigalium curam suscepit, et Magistro Hospitii datus adjutor, de relinquendo ab hostibus Castello Sancti Severi egit[2].

1. Froissart, t. VII, p. xlix, lxiv, p. 114, etc., 190, 197-201, 212; *Chron. de du Guesclin*, v. 14965 et seq., 18980 et seq., 18380 et seq., 22508 : Le ber Carenlouet que Français tant amèrent. *Mand.* 505; *Chron. norm. du* xiv^{e} *s.*, p. 194, 348.

2. Froissart, t. V, p. lxvii; Bibl. nat., *fr.*, 26006, n° 30; *Mand.*, 236, 237, 256 : Comme..... nos diz commissaires vous aient ordenné receveur general de tout ce qui est et sera ordenné de lever pour le fait dudit vuidement..... nous approuvans ce qui par nos diz commissaires a esté fait. Bibl. nat., *fr.*, 26007, n^{os} 269, 271, 272, 300,

Hunc, strenuam sane expertus industriam et diligentiam annis 1366 et 1367, quibus Stephano et invisendas muniendasque arces, et curam pecuniæ in tuendam Galliam cogendæ commiserat, Carolus, anno 1368, admiraldo Franciæ subpræfectum classis freti Oceani adjunxit.

Notandum quidem qua ratione hæc processerint, nec enim de Stephano tantum actum fuisse, sed de abrogato etiam præfecti ipsius Baudrani de la Heuse imperio, ita ut summa mutaretur rei navalis administratio [1], eo ferme tempore, quo bellum cum Anglis renovare jam Carolus meditabatur. Anno enim nondum elapso, instaurata fuit magno cum apparatu classis, præsidente Stephano du Moustier [2], quem posterius non deseruit voluntas regis, ad annum 1380 in officio servatum, quanquam Aimericus et Johannes de Vienne Francisco de Perilleux fuissent substituti.

407, 441. *Mand.* 266, 310 : Nostre huissier d'armes et general esleu sur le fait des aides ordennées de lever pour la provision et deffense du royaume es dyocèses de Lisieux, Sez, Baieux, Coustances et Avrenches. *Mand.* 397, 410, 411 : Lez aucuns d'iceulz ont esté et ancores sont en très grant negligence d'avoir fait et accompli ce que commis leur estoit..... *Mand.*, p. v, vi, ubi tamen res non congruunt. Anno tantum 1368 ad rerum navalium procurationem promotum Stephanum indicant quæ superius et inferius significare videntur.

1. Vide supra, p. 54.

2. *Mand.* 507 : Commettons à faire visiter et appareiller et mettre en bon estat le dit navire (i. e. classis) pour le dit passage et à faire faire les cloies, pons et autres instrumens et abillemens neccessaires a ce, et pour faire tenir les diz mariniers en tele ordenance que on les ait prests a nostre commandement et volenté comme dit est..... Et pour avitailler le dit navire, tant pour les gens comme pour les chevaux que il pourra porter, faites, tantost ces lettres veues, sans delay achater et paier du nostre cent muys de fourment a la mesure de Rouen, mil lars, cent milliers de harenc blanc ou sor, ou autre poisson à la value, deux cens tonneaux de vin, deux cens tonneaux de sidre..... *Mand.* 769, ceteraque; *Chron. des prem. Valois*, p. 293; Demay, *Inv. des sceaux de la collection Clairambault*, t. I, p. 692.

Litterati etiam viri quidam Hostiariis annumerabantur, quos inter eminuit, regnante saltem Carolo Sexto, Eustacius Deschamps [1], cui si fides adhibeatur, multum absit quin optabilis fuisset et litteratorum et Hostiariorum conditio, quippe quæ inter incerta plerumque versaretur. In Eustacio enim demissius paulo obsequium, multa adulatoria, crebræ flagitationes, rogantis instar et pæne egentis. Cum tamen innumerabilibus exemplis manifestum fieri possit qua erga familiares suos liberalitate Carolus Quintus usus fuerit, non omissis scriptoribus vel artificibus, quos præsertim colebat, hæc aut Caroli Sexti regno, ubi omnia jam incomposita inveniuntur, aut Eustacii indoli, aut forsan poetarum, generis queruli, ingenio imputabis.

1. Carolo Quinto serviisse Eustacium demonstrant hi versus :

> Au roy supplie Eustaces humblement
> Que comme il ait vostre pere servi
> Huissier d'armes jadis tres longuement,
> Et vostre tante en Lombardie aussi,
> Duc duchesse d'Orléans autressi,
>   Et pour ce lui eust donné
> Gaiges le roy pour estre guerdonné
>   A sa vie certaine pension.

(*Œuvres d'Eust. Deschamps*, t. II, p. 250.) Vide t. II, p. 305, ubi tamen pro Carolo V, Carolum VI leges. In t. IV, p. 294, commemorat Eustacius quatuor jam elapsis annis ducentos francos regem condonasse adhuc insolutos. De donis in Hostiarios armorum congestis, vide inter alia *Mand.* 1274, 1458, 1292, 1737, 912; Douët d'Arcq, *Pièces inéd. du règne de Charles VI*, t. I, p. 26, etc. — Cf. Aubertin, *Hist. de la litt. fr. au m. â.*, t. II, p. 92 et seq. ; De Laborde, *Les ducs de Bourg.*, t. III, p. 80, 94; Bibl. de l'Éc. des Ch., t. V, p. 69; Delisle, *Collect. de Bast. d'Estang*, p. 177, 181-184; Sarradin, *Eustache Deschamps*, passim. Fingitur Eustacius Deschamps coram Carolo Sexto, genu nixus, virgamque tenens, Hostiariorum insigne (*Œuvres d'Eust. Deschamps*, t. II, in fronte).

De Servientibus Armorum.

Philippo Secundo regnante institutos fuisse Servientes armorum Rigordus narrat[1], quorum quarto decimo sæculo singulariter crevit numerus et officium. Dum vero in ordinatione Hospitii anni 1316 viginti tantum et sex Servientes inscribuntur, in rationibus Argentariæ, eodem anno, enumerantur non minus quam quatuor et quinquaginta hujus generis domestici, vestimenta accipientes, quæ ut consentanea inter se videantur, arbitrandum est in illa agentes tantum in domo regia, in his titulum magis quam ministerium induentes contineri. Quinimo ultra quinquaginta excesserunt Servientes armorum, namque anno 1342, decretum est nullos novos eligi posse antequam intra centum retraherentur, nequidquam vero profuit illud, ut ex ordinatione liquet, qua anno 1360 declaratur eos non plus quam centum jam fore, laudato Philippi Sexti exemplo; nec minus necesse fuit homines istos nimium sibi assumentes coercere : annis nempe 1339 et 1349 edixit rex ne stipendia eis debita nonnisi ex attributis domui regiæ nummis persolverentur[2].

De his tractavit Carolus Quintus, quos vetuit in quibusdam publicis negotiis versari; auctor tamen fuit ut in collegium coirent, sodalitii instar, pietatis gratia, solemniaque et convivia celebrantes, et si quis eorum in paupertatem incideret opitulaturi[3].

1. *Œuvres de Rigord*, etc., p. 121 : Eodem anno (1192)..... instituit rex ad majorem cautelam custodes corporis sui, clavas ereas semper in manibus portantes, et per totam noctem alternatim circa ipsum vigilantes. — *Hist. de Fr.*, t. XXI, p. 512.

2. Cf. Douët d'Arcq, *Comptes de l'arg.*, p. 52; *Ordonn.*, t. II, p. 173, 174; *Arch.*, P, 2293, p. 246, ou Ordonn., t. III, p. 386 et seq.

3. *Ordonn.*, t. V, p. 431; t. VI, p. 185 (anni 1376), quam perlegere operæ pretium est.

Quidquid id est, Servientes, utpote quorum munus hinc ad personam, illinc ad res judiciarias pertineret, in modum instrumenti ad varia negotia optime aptati, regibus in promptu erant, regno etiam et Hospitio potius quam principi ipsi addicti, quando, etiamsi moreretur ille, in officio identidem continuabantur [1].

Testatur Caroli Quinti mandatum eos præcipue ad hoc creatos fuisse ut custodiæ et securitati regis invigilarent, cubili noctu diuque adstantes [2]. Quod præter, foras euntem comitantur, si qua opus est, protegunt, stipantes ordine disponunt [3], intus provinciam admissionis gerunt [4], in summa corpori regis semper adsunt, jussa ad nutum facessituri, quemcumque etiam notaverit, arrepturi [5] : in his communia quædam cum Cambellanis et Hostiariis, inferiori quidem gradu, exercentes.

Nec tamen omnes continenti officio fungi credendum

1. Boutillier, *Somme rurale*, liv. II.

2.... En office honeste ordene principaument pour la garde et seurté de nostre corps. Pour ce est-il que come nos ames et feaulx sergens d'armes lesquelx sont d'ancienneté de nostre hostel et nous servent en alant et en portant la mace devant nous de jour et gardent nostre chambre de nuit, pour exposer, se mestier estoit, leurs vies et leurs corps pour nostre garde et deffense et estre prestz a nostre commandement. *Ordonn.*, t. VI, p. 185; *Gr. Chron.*, t. VI, p. 67.

3. *Gr. Chron.*, t. VI, p. 67. Et le palefrenier du roy estoit devant les escuiers du corps, monté sur un grant coursier..... Et avec les sergents d'armes du roy estoient devant les deux trompettes du roy. *Id.*, *ib.*, p. 370; vide p. 372, 374, 381; et Bibl. Nat., *fr.*, 2813, f° 470.

4. Encontre la venue des deux seigneurs plaisans
Vous veissiez venir d'armes plusieurs sergens,
Evesques et prelas, bien fu apartenans.
Chron. de Du Guesclin, v. 13148 et suiv.

5. Si le fist li dis rois tantos prendre par ses sergans d'armes et mettre en prison en le tour dou Louvre dalès Paris. Froissart, t. IV, p. 124; *id.*, p. 178. In ordinatione Hospitii anni 1316 statuitur ut e sex et viginti Servientibus armorum tres Hostiariorum partes agant.

est, sed multo potius alternare vices. Quosdam etiam nudo quasi titulo decorari, argumento sunt et multiplicati adeo hujusmodi ministri, et agentes quidam in longinquis urbibus, et verba ipsa nonnullorum mandatorum [1]. E contrario, quatuor e Servientibus famulitium speciale regis custodiendi, lateri quasi adhærentes, rex implere jussit [2].

Quæ cum ita fuerint, aliquod momentum attribui decet muneri [3] et viris quibus committebatur, nonnisi honesta e conditione electis [4]. Quid enim? Inter eos adsunt multi armigeri [5], nonnulli burgenses, unus etiam occurrit militiæ addictus [6], aliusque quidam nobili genere ortus et

1. Hoc inferas ex mandatis pluribus in provincias ad regales ministros missis, ubi de Servientibus armorum mentio fit, ut ii jussorum exsecutionem suscipiant (vide infra, p. 66 et seq.), et ex mandati alius his verbis : Savoir faisons que nous, entendu le bon raport qui fait nous a esté du senz, loyalté et diligence de nostre amé et feal sergent d'armes Estenne de Brandiz, maistre des pors et passages de la senesschaucée de Calcassonne et de Besiers (*Mand.* 1009). Vide etiam 919.

2. *Ordonn.*, t. VI, p. 186; *Mand.* 1612 : Nous aiens ordené dès le xv^e^ jour de juillet derrenierement passé quatre de noz sergans d'armes .... estre continuelment prez de nous pour nous servir en leur office.

3. Insignibus utuntur Servientes armorum hasta ænea (gallice masse) et sigillo, de quibus persæpe fit mentio. Froissart, t. IV, p. 179 : Li rois prist une mace de sergant et s'en vin sus le conte de Harcourt et li donna un grant horion entre les espaules. *Mand.* 251 : Aux gages que il avoit a cause de sa masse quant il estoit sergent d'armes. *Chron. de Du Guesclin*, in doc. add., XXII : Faite et donné soulz mon seel duquel je use en mondit office. In codicibus manuscriptis plures effinguntur Servientes armorum, plerumque in armatura stantes clavamque æneam gestantes (Bibl. nat., *fr.*, 2813, f° 1, f° 80, f° 394; *Musée des Arch.*, 383.

4. Nota Servientes armorum Constabularii tantum jurisdictioni subditos fuisse. Ord., t. IX, p. 92.

5. Bibl. nat., *fr.*, 4613, p. 294,295 : Franciscus Cassinel, armiger et Serviens armorum, pater Guillelmi fuit, militis et magistri Hospitii reginæ.

6. *Mand.* 251.

ordini illustri consociatus. Inde familiares aliquando optimatibus erant, aut meritorum ergo in nobilium numerum adciscebantur [1]. Arctis adeo vinculis regi conjungebantur, ut in Lupara eorum imagines in scalaribus adspicerentur, non longe a statuis regis reginæque, et regi Philippo Secundo circa tumulum lapidei adstarent [2]. Quam sedulo illis consuluerit Carolus nosse est mandata ejus perlegenti, dum huic de successione vindicanda apud judices auctor est, illis autem dona largitur [3].

Extra aulam his ministris rex tanquam cursoribus utitur, sive nuntios ferant [4], sive auctoritate publica instructi mandata [5] aut commonitoria edant; his denique

1. Anselme, t. VIII, p. 467; *Mand.* 1369; *Pièces inéd. du règne de Charles VI*, testam. ann. 1403; *Pièces inéd.*, etc., t. I, p. 287 : A plein informez de la bonne et noble génération de nostre amé sergent d'armes Robert de Mauny, escuier, est issu et procréé, avons donné congé de..... porter le collier de nostre ordre de la Cosse de Genestre. *Mand.* 1036. — Servientibus Stephanum Le Mercier annumerat Moranvillé, in *Posit. des thèses de l'Éc. des Chartes*, 1886, p. 123 et seq.

2. Sauval, *Antiq. de Paris*, t. II, p. 23; *Paris et ses histor.*, p. 190.

3. *Mand.* 382; vide *id.*, 369, 381, 919, similiaque alia, et quæ de Raimundo du Temple infra dissero. Filio unius e Servientibus armorum rex Carolus Sextus patrinus fit. Anselme, t. VIII, p. 797.

4. Froissart, I, ii, § 381; *Mand.* 1060 : Nostre amé sergent d'armes Pierre Groussaut, qui nous apporta pieça, de par nostre très chier frère, le duc de Berry et d'Auvergne, les premieres nouvelles de la prise de Cressewelle. — *Mand.* 1482. Hæc similiaque alia cum tabellariorum (gallice chevaucheurs) officio ne commisceas, qui nec eadem munia, nec idem muneris pretium accipiunt (vide *Comptes de l'Hôtel*, p. 41 et seq.). Herman quidam cursoris partes agens viginti et sex libras accipit, post in Servientem armorum promotus cum duobus cursoribus in Britanniam mittitur. *Mand.* 2, 96.

5. *Journal de Nicolas de Baye*, p. 8; *Mand.* 200 : Nous envoions très hativement, pour certaines besoingnes qui nous touchent, nostre amé Jehan du Mesnil, dit Macé, nostre sergent d'armes, par devers nostre très cher et très amé frère le duc d'Anjou, et ailleurs, es parties d'Avignon. Vide quoque *Mand.* 1644 A.

quasi vicariis partes committit judiciarias [1] : in jus scilicet vocandi, injiciendi manum, cognitionem exercendi aut exsequendi sententiam [2].

Quod si de fisci rebus dicatur, occurrent Johannes de Roucy provinciam percipiendorum vectigalium in diœcesibus Remensi, Catalaunensi, Laudunensi, vicinisque suscipiens, collectariis nonnullis adjutus, coercendique potestatem obtinens; Johannes d'Artois Rothomagum deputatus ut vectigalia solvenda acceleret, Nicolaus de Mauregart, coactor designatus vectigalium ad tuendum regnum indictorum, Radulfus Campion, in urbe et vicecomitatu Cadomensi receptor tributorum, Johannis redimendi gratia impositorum, Jacobus Ridel, iter faciens ut pecuniam colligat belli causa pensitandam [3].

1. Aliud eorum officium aliud servientium esse indicant mandatum anni 1376 (*Ordonn.*, t. VI, p. 245) in quo dicitur Servientibus armorum jus negari litteras judiciarias exsequendi, si quæ summatim ad servientes mittuntur, et nonnulla alia mandata regia ubi legitur : « au premier de nos sergents ou de nos sergents d'armes qui sur ce sera requis ». Cf. Vuitry, *op. laud.*, p. 407, 447, etc.

2. Petrus le Cochetier Brugas mittitur, ut Majores Scabinosque in jus ad Curiam Parlamenti Lutetiam vocet, litteras regis insigniaque officii gerens « je traye mes lettres et ma mace et les lui monstre », in auditorium scabinorum pergit (*Chron. de Du Guescl.*, in documentis operi additis, XXII). *Mand.* 404 : Nostre amé sergent d'armes nous a signifié, que comme naguères il ait priz en un certain lieu ou pais de Caux Pierre de Marrigny, escuier, et sept de ses complices... et par ordenance... ait esté commis sur le fait des informations contre les diz malfaiteurs. — *Documents monétaires*, p. 530. *Mand.* 1236. — Journées faites par... et Colin Lemire sergens d'armes du roi nostre sire commissaires de par Guy Chrestien bailli de Rouen... à prendre le corps de Pierres... trouvé coupable par information de plusieurs pilleries... Bibl. nat., *fr.*, 26013, n° 1754. — Adde alia quædam munera : Stephanum Porcher pourveour (pour vins des garnisons royales). *Comptes de l'Hôtel*, p. 10; *Invent. des titres*, 3400.

3. *Mand.* 369, 725, 1278, 737 : ... Te mandons... que... tu te transportes en nostre dicte ville et cité de Rouen, et tous les habitanz et

Legationibus quoque intersunt, modo adjuvantium instar, præeunte illustri viro, cujus arbitratu omnia aguntur, modo negotium regentes, summa rerum ipsis permissa [1].

Militaria tandem administrant, bellum potius, ut videtur, parantes quam ipsi præliis interfuturi, aut castellorum custodiam sustinentes, quæ etiam illis quasi jure proprio ex scito quodum anni 1318 delegata fuerat; necnon, si quid reficiendum sit, curant [2]. Quibusdam commissa ea quæ ad tormentorum balistarumque usum spectant, armamentariis servata, quorum tutelam exercent, bellicam supellectilem qua opus sit suppeditantes. Hac ratione egerunt Johannes de Lyon quem « magistrum artilleriæ » regnantibus Johanne II et Carolo V documenta tradunt, et Miles de Lyon, qui sane in locum ejus successit [3]. In his arma-

demourans en icelle, qui par les commis et deputez de par nous illec sur les diz empruns te seront bailliez en roulles sur leurs seaulz, tu contraingnes vigueureusement et sanz deport... à paier et baillier sanz délay. Vide etiam *Mand.* 1223; *Doct. monét.*, p. 530; Bibl. nat., *fr.*, 26006, n° 207; 26007, n° 482, et 26011, n° 1425 : Radulphus Campion, anno 1368 coactor vectigalium in urbe et vicecomitatu Cadomensi, anno 1373 provinciam obtinet recipiendorum in Normannia inferiore tributorum ad bellum gerendum indictorum.

1. *Mand.*, 468, 935 : A nostre amé sergent d'armes Robert de Ricaumes, en recompensacion des grans peines et travaulz qu'il a euiz et soutenus en la compaignie de nostre amé et feal conseillier l'abbé de Fescamp, pour le temps que nous l'envoiasmes à Romme par devers feu pape Urbain. *Mand.* 469, 766 : Nous envoions n. a. et f. sergent d'armes Jehan Champenois en Escoce, pour certaines besoignes touchans le proffit de nous, de nostre royaume et de noz subgiez. — His adjunge Philibertum de Trapes missum propere « devers les gens de compaigne gascons, pour certaines et grosses besoignes ». *Mand.* 460, 469; Anselme, t. VIII, p. 797.

2. Ducange, V° Serviens armorum; *Cart. des r.*, 1464; *Mand.* 981, 1401; Bibl. nat., *fr.*, 26006, n° 262.

3. *Mand.* 199, 788, 797; Bibl. de l'Éc. des Ch., t. VI, p. 52 et seq.; *Mand.* 1862 : Nostre amé sergent d'armes Mile de Lyon, general maistre de noz artilleries.

mentariis cum conderentur instrumenta, seu ad munienda seu ad subruenda oppida necessaria, colligebantur etiam ferramenta, armaque et apparatus rerum quibus classes instruebantur, ita ut nauticum munus terrestri conjungeretur; unde fit ut amplissimum fuerit armamentarium illud Rothomagi situm, utpote mari proximum, mediaque in belli area quasi jacens.

Huic præfuit Ricardus de Brumare [1], cui gallicus titulus erat : « garde du cloz des galies, armeures, artilleries et garnisons ». Multiplex ejus officium maximique ponderis : arma telaque ad dimicandum modo servare, modo ad tuenda castella, jubente rege, tradere, naves armare, stipendia etiam solvere. Quam personam gereret Ricardus ille ex epistolis Caroli intelligere est, necnon ex duabus aliis, quas Bertrandi Du Guesclin uxor scripsit, castellum Longævillæ belli anglici minis obnoxium munitura.

Decori ordinis addebant aggregati inter Servientes viri quidam litterarum aut artium ingenuarum cultu præstantes, quos, illis jam temporibus, et excelsissimus quis-

1. *Mand.* 392, 439, 456, 276 : Jubet rex ducentos francos Ricardo tradi « pour faire hâtivement dans ledit clos (des galées), deux cenz pavois avec pluseurs autres artilleries neccessaires pour la deffense du royaume »; 277, 278, 359 : Nous te mandons... que de nostre artillerie que tu as par devers toy en garde, tu faces mener en nostre chastel de Melleun pour la garde et defense d'icelui, cent milliers de viretons en deux cens coffres. *Id.*, 392 et passim. Vide quoque Bibl. nat., *fr.*, 26008, 26011, in primis nos 724, 731, 1405, 1411, etc. In locum Ricardi successit Stephanus de Brandiz, ipse quoque Serviens armorum, cujus industriam in navalibus rebus laudat Carolus. (*Mand.* 1009). Ricardus autem ad fiscalem administrationem vocatus est (*Mand.* 1223; Bibl. nat., *fr.*, 26013, n° 2069). De alio armorum Serviente mentio fit in *Mand.* 1847 : Jehan Houe, nostre sergent d'armes, gouverneur et garde de nostre barge de mer appelée Saint Charles. Cf. De Beaurepaire, *Le Clos des galies à Rouen;* Dufourmantelle, *La marine française de la guerre de Cent Ans.*

que, et rex ante alios non parvi æstimabat. Hos inter, regnante Carolo, reperiuntur et Jacobus Bauchant [1], qui Senecæ opusculum in linguam gallicam convertit, et Johannes Coste [2], pictor egregius, qui Johanni regi et filio serviit, et Raimundus ille du Temple, de quo, ut notissimo hujus ætatis architecto, jam locutus sum. Unde non temere forsan arbitreris has partes non sine ratione quadam et sine consilio fuisse distributas, de quo si nihil affirmari possit, illud tamen verisimile est Magistrum quemcumque operum a rege Parisiis electum (gallice maistre des œuvres), ipso jure inter Servientes locum obtinuisse [3].

Triplex in summa fuisse videtur eorum artificum conditio, quibus reges aut nobiles viri utebantur; horum enim quidam pacta mercede opus conficiendum suscipiebant, institorum modo [4], quidam autem, salarium accepturi, per

1. Aubertin, *Hist. de la littér.*, t. II, p. 559; Thomas, *de Joannis de Monsterolio vita et operibus;* Desmaze, *Jacques Bauchant, sergent d'armes, bibliophile de Saint-Quentinois*, in *Bullet. de la Soc. des antiq. de Picardie*, 1869, nº 3.

2. Vide Bibl. de l'Éc. des Ch., t. VI, p. 545; *Archives de l'art français*, 1852-53, p. 340; *Revue archéol.*, 1851-52, p. 771; Berty, *Topogr. hist. de l'ancien Paris, le Louvre*, p. 143; Dufour, *Une famille de peintres parisiens au* xiv^e *s.; Hist. litt.*, t. XXIV, p. 649 et seq. Cf. Müntz, *Renaissance en Italie*, etc., p. 134.

3. His verbis maistre des œuvres designatur architectus qui, intra limites bailliviæ, sive vicecomitatus, quidquid ad structoria opera, regis nomine ædificanda spectat, suscipit aut inspicit. Inter tignarios quoque multi reperiuntur Servientes armorum (Bibl. nat., *fr.*, 26012, nº 1478 : Johannes Froidon Serviens armorum regis ejusque tignarius in baillivia Silvanectensi); Robertus Fouchier, Serviens armorum tignariusque regis. Bibl. de l'Éc. des Ch., t. XXVI, p. 219; Douet d'Arcq, *Pièces inéd.*, t. I, n. 118. — Johannes Aubelet, anno 1403, magister operum et Serviens armorum dicitur.

4. Sæpe leguntur verba hæc : par marché fait. Soc. hist. de Paris, ann. 1879, p. 105. — Bibl. de l'Éc. des Ch., t. XIV, p. 144. — Vide etiam infra cap. 5.

diploma regis pictores aut illuminatores instituebantur [1], quidam denique ministerium domesticum usurpabant, Hospitio additi et ordini famulorum adscripti. Quid vero officii aut obsequii præstiterint, non pro certo est. Operas sane pictorias pictor, statuarias sculptor edebat, nec eas modo in quibus ingenium eminebat, sed etiam in quibus fabrile aliquid prævalebat : illa enim ætate male distinguebantur quæ manus tantum vel quæ mens efficit, eidemque committebatur imago regis depingenda, vel cubile picturis magno apparatu decorandum, aut paries quædam minio inducenda, vexillumve colorandum [2]. De aulicis autem muneribus si quæstio sit, in solemnibus eos inhærens titulo officium egisse non dubitabitur, minis-

1. Bibl. de l'Éc. des Ch., t. XXI, p. 83 : Ramenans à memoire plusieurs agreables services faiz à Monseigneur par lonc temps et à nous par nos bien amez... et que ja piécha il delaissièrent pour la plaissance de Monseigneur le service de la contesse de Bar. — Delisle, *Cab. des manuscrits*, p. 16 : Ipsum retinuimus illuminatorem nostrum. — De Laborde, *Les ducs de Bourg.*, t. II, p. 205. — Dehaisnes, *L'art flamand*, t. I, p. 458. Vide etiam infra § 5.

2. Johannes de Saint-Romain hinc statuas ducum Aurelianensis et Andegavensis fingit (Hist. littér., t. XXIV, p. 649), illinc candelabra colorat (de Laborde, *Ducs de Bourg.*, t. III, p. 642). — Archiv. de l'art fr., 1857-58, p. 178 : Jehan d'Orléans paintre, pour avoir paint et contrefait neuf plumes de faisans d'Inde. — Colart de Laon paintre demourant à Paris, pour avoir paint unes aulmoires par dedens et par dehors ou la royne met ses reliquiaires, c'est assavoir, par dedens..... en l'une des fenestres le crucifix, Nostre Dame et Saint Jehan, et en l'autre fenestre une Trinité, le père, le fils et le Saint-Espérit.... Anno autem 1386, idem Colardus quadringentas libras turonensium accipit, pictis non minus quam duobus millibus et quingenis vexillis (Nouv. Arch. de l'art fr., ann. 1878, p. 170). *Comptes de l'arg.*, p. 111 : ledit maistre Girart pour le fust et façon des dictes chaiéres, ouvrées à orbevoies a deux endrois, paintes et couvertes de cuir pardessouz ledit veluyau, 10 l. p.... ledit maistre Girart pour deux selles necessaires.... 6 l. p. Idem vero tabellam depinxerat quæ in recognitione supellecilium Caroli V memoratur (*Inv.*, n° 2626). Cf. Müntz, *Artistes d'Avignon*, p. 20, 23.

terium autem quotidianum et domesticum non obiisse, quanquam tamen Eustacium Deschamps Hostiariorum more nuntios tulisse comperimus.

Quidquid id est, hujusmodi viri nec sine dignitate, nec sine auctoritate vixisse videntur, si omnes a Raimundo du Temple existimentur.

De quo plura jam innotescunt [1] : Anno 1363 a Carolo Quinto ad id adhibitum fuisse, ut opera in Hospitio Sancti Pauli facienda curaret, moxque adepto titulo publicum aliquod participante [2], Luparæ reficiendæ curam habuisse. Quem rex non modo magni faciebat, sed etiam ita colebat diligebatque ut filio ejus patrinus esse voluerit [3]. Nec, mortuo Carolo, statu deminutus fuit Raimundus, qui et

1. Primus de Raimundo disseruit Julius Quicherat in Bibl. de l'Éc. des Chartes, t. VIII, p. 55 et seq. — Plura nunc exstant documenta sed quasi vaga et dispersa. Vide inter alia : de Laborde, *Les ducs de Bourgogne*, t. I, p. xxiii, t. III, p. 107, 154, 194, 475; Soc. de l'histoire de Paris, ann. 1877, p. 130; 1879, p. 78 et seq. ; Bibl. de l'Éc. des Ch., t. XXXIII, p. 372; Delisle, *Collection de Bast. d'Estang*. p. 148, 181, 216; Bullet. de la Soc. de l'Hist. de Fr., 1885, p. 99; Bullet. de la Soc. de l'Hist. de Paris, ann. 1886, p. 30; Berty, *Topogr. hist. du vieux Paris, le Louvre*, p. 185, 195; *Paris en* 1380, p. 13, 159; *Mandem. et actes de Ch. V* (V° Raimond du Temple); Douet d'Arcq, *Collect. de Sceaux*, t. II, 5891.

2. Retenu maistre maçon du roi en la viconté de Paris. Soc. Hist. de Paris, ann. 1879, p. 89. — *Mand.* 1110 : Comme par nos amez et feaulz conseillers Mouton de Blainville, mareschal de France, Nicolas Braque et Jehan le Mercier et plusieurs autres, present ad ce maistre Raymon du Temple, nostre maistre maçon, ait esté advisé nagaires, pour la seurté et deffense de nostre dicte ville (de Mantes), les repparacions qui ensuyent estre neccessaires en icelle..... *Mand.* 1119.

3. *Mand.* 1294 : Pour contemplacion des bons et agreables services que nostre amé sergent d'armes et maçon maistre Raymon du Temple nous a fais, fait encores de jour en jour et esperons qu'il nous face ou temps à venir, nous avons donné..... à Charles du Temple nostre filleul, son filz, la somme de deux cens frans d'or, pour tenir et gouverner nostre dit filleul à l'estude à Orliens....

Carolo Sexto et fratri ejus præcipua in gratia fuit, et Capitulo Parisiensi addictus, ut aut exstruenda curaret au ab aliis exstructa probaret [1], donec senescens fessusque, munus a se abdicatum, assentiente rege, filio Johanni transtulit [2].

§ 4. — De Valletis Cameræ.

De officio isto, inferiore quidem, sed vitæ regis conjunctissimo, non omittent quærere qui ad intima Hospitii penetrare studebunt, vel quia huic incumbebat præcipua corporis regii cura, vel quia per idem reges cum hominibus medii ordinis præsertim communicabant. Dum enim alia munera Domus regiæ aut nobilibus viris committebantur, aut ab hominibus explebantur qui, exceptis quibusdam, nihil aliud quam munia seu privata seu publica obibant, plurimi inter Valletos Cameræ artificia, cum ad utilitatem, tum ad voluptatem conversa, aut mercaturas exercebant, qua de causa quidquid eorum historiæ, hoc ipsum historiæ artium aut artificiorum addideris.

Regnante Ludovico Nono, non plures quam sexdecim Valleti occurrunt, iique famulis extremi ordinis proximi [3]. Quod vero de aliis domesticis, idem de Valletis Cameræ evenit, ut paulatim ad superiora proveherentur, eo magis quod homines, quorum ex genere oriebantur, industria et opibus et auctoritate magis ac magis pollebant.

Multiforme hoc ministerium satis recte ita distinguatur :

1. Bibl. de l'Éc. des Ch., t. XXXIII, p. 372; Lebeuf, éd. Cocheris, t. II, p. 434.
2. Bullet. de la Soc. de l'Hist. de Paris, 1886, p. 30.
3. *Ordinat. hospitii*, anni 1261.

quidam nullum, ut videtur, proprium officium exercentes regi addebantur, ut quæ corporis vel cubiculi cura exigeret exsequerentur [1], famulitii intimas aut inferiores operas exercentes, moribus tamen horum temporum et regis commercio honestatas. Quorum nomina vix enuntiari opus est.

Aliorum vero munus arctius terminabatur, tonsoris nempe [2], qui, postquam primas partes obtinuerat, quarto decimo sæculo ad paulo inferiora provolutus videtur.

In cubiculo degunt famuli plurimi, quales sunt : unus « coustepointier », unus « sellier », unus « garde des tapis », cujus ministerium aut ad tapetas custodiendos, aut ad reficiendos, si qua opus est, aut etiam ad fabricandos spectat, unde eum aliquid cum artis eximiæ historia communicasse animadvertetur [3].

Quod autem ad vestitum attinet, plures obveniunt domestici, aut merces regi vendentes, aut pro rege in domo operantes, munus ita duplex exercentes, mercatores in urbe, in Hospitio famuli. Illis maxima opera impendebat, namque non solum regi gentilibusque apparanda erant splendida illa vestimenta, quæ quarto decimo sæculo in ornamentum non minus quam in utilitatem vertebantur, sed ea etiam conficienda, quæ ministris Hospitii, stipendiorum gratia,

1. Inter alia solemnibus et pompis adsunt. Lege *Gr. Chron.*, t. VI, p. 415, ubi de exsequiis reginæ agitur et de tredecim Valletis Cameræ faces gerentibus, quos in pictura quadam videre est, tredecim numero figuratos vestemque tricolorem indutos (Bibl. nat., *fr.*, 2813, f° 480 v°).

2. *Mand.* 88.

3. *Mand.* 962, de Johanne de Crepon, cui successit Moynat. *Invent.*, p. 386 : 27 tapis achetés par le roy depuis que Moynat fut premièrement chargié de la tapisserie. — Vide etiam *Nouv. comptes de l'argent.*, p. 254. De Guillelmo Bataille, vide Soc. de l'Hist. de Paris, 1884.

aut familiaribus dono condonabantur. Ergo, Valletos præter, apparet in rationibus et mandatis amplissimus numerus institorum ad hæc adhibitorum, quos inter sic divisa provincia : Vestes emptæ fulloni committuntur, post vestifico (sive talliatori [1]) traduntur, in fine pellionario, nam plerisque pelles plus minusve pretiosæ assuebantur [2].

Intercedebat etiam armorum cura in qua, hac ætate luxus non mediocris proferebatur, sive ad bellum gerendum, sive ad pompas quasdam celebrandas indueretur armatura [3].

Quidam denique proprium locum tenebant, cælatores dico, pictoresque aliosque similes nonnullos.

Cælatura enim, dum medio ævo artes ipsæ, quibus ingenii vis præsertim eminet, artificii aliquid retinebant, in artem veram pæne evaserat, eo etiam progressam ut sculpturæ fere operibus æquipararetur.

Aurifabri ergo plurimum pollebant [4], vel quia, ut dictitabatur, pro Deo, pro ecclesia, principibusque artificium exercebant, vel quia materia opulentissima utebantur, quo-

1. *Mand.* 1952, 1313 : Nostre bien ame tailleur et varlet de chambre (Radulfus de Segrie); *Mand.* 1182 : Pueris Radulfi Carolus 200 francos aureos condonat. BIBL. NAT., *fr.*, 26011, n° 1351, ubi 1362 lege pro 1372. Vide etiam de Guillelmo Climence, *Mand.* 1510.

2. *Mand.* 53 : 400 franci debentur « a nostre amé pelletier et vallet de chambre Nicolas de Soissons, pour plusieurs besongnes de pelleterie, c'est assavoir pour la fourreure de menu veir d'une robe que nous donnasmes a nostre très cher et très amé frère le duc d'Anjou à Noel. *Mand.* 891, 1031, 1309 : Johannes de Sens cordouanier.

3. Stephanus Castel « armurier ». FROISSART, t. VII, p. LXXII, *Mand.*, passim. Ymbert le Damoisel, armeurier. *Mand.*, passim. BIBL. NAT., *fr.*, 26014, n° 2193 : Johannes des Portes « haubergier et valet de chambre. His operæ publicæ nonnunquam committebantur; vide infra.

4. Multa de cælatoribus mandata regia loquuntur. Vide ORDONN., V° Orfèvres; *le Livre des Mestiers*, I, tit. XI; BIBL. ÉC. DES CH., t. XXX, p. 83 et seq.; *Paris et ses hist.*, p. 54.

rum collegium ac congregatio summis fruebatur privilegiis. Accreverunt etiam cælatores, ut Valesii, adeo luxus appetentes, regnum occupaverunt, eosque in commercio Caroli Quinti videre est, elegantiarum fere in aula arbitros [1]. Inter quos duo ante alios floruere : Johannes du Vivier et Johannes de Maucroix, qui in mandatis aut in apochis frequentes occurrunt, et recognoscendæ regis supellectili adfuere [1].

De pictoribus cum verba jam fecerim, pauca hic addenda sunt, quanquam plures inter Valletos Cameræ locum tenuerunt [2], dum architectis munera illa quibus fungebantur Servientes armorum potius assignabantur.

In summa notandum erit Valletos Cameræ, si publicis rebus nonnunquam se immiscuerunt, ut Johannes ille

1. *Mand.* (Hennequin du Vivier, Jehan de Maucroix). Bibl. nat., *fr.*, 26014, nº 2103; 26016, nº 2708. Anno 1378-1379 non minus quam octo millia francorum Johanni de Maucroix persolvi rex jussit, mercium argentearum aurearumque causa (*Mand.*). *Invent.*, p. 12, 213.

2. De pictoribus, quanquam nonnulla documenta edita fuerunt, sed mea sententia non satis digesta, plura obscura manent. Non tamen dubitandum quin titulus Valleti Cameræ hujuscemodi artifices sæpius ornaverit. De Johanne d'Orléans vide *Mand.* 167 : Pour bailler et delivrer a nostre amé paintre et vallet de chambre Jehan d'Orleens, en quoy nous lui estions tenuz, c'est assavoir : pour un tableau de bort d'Illande, seize frans; pour trois chaeres pour nous, vint six frans.... *Id.*, 1617; Arch., P, 2294, p. 483; *Nouv. Comptes de l'arg.*, p. 179; vide Dufour, *Une famille de peintres parisiens au* xivᵉ s., p. 83, 85. Johannes de Bruges, pictor regis, qui anno 1371 effigiem regis depinxit, Valletis Cameræ annumeratur annis 1379-80 (Dehaisnes, *Hist. de l'art flamand*, t. II, p. 560). Colardus de Laon, qui ex inclytis pictoribus fuisse videtur, multiplici documentorum copia notissimus, regi Carolo Sexto et fratri ejus a cubiculo fuit. — Cf. titulum hunc sepulcralem anni 1637 : Tombeau de Pierre Paulle, dit l'Italien, architecte du Roy nostre sire, valet de chambre ordinaire dudit sire, controlleur de ses bâtiments et son concierge de ses chasteaux de Fontainebleau, Moulins, Bourbon l'Archambault. Bibl. nat., *fr.*, 4613, p. 115.

Des Portes, et Stephanus ille Castel, qui armaturas belli Anglici causa comparaverunt et collegerunt [1], aut Johannes Lyon d'Ays, in Germaniam delegatus, publicarum rerum curam suscipiens [2], familiaria tamen obsequia et ad personam proxima in primis egisse, quibus sane, cumulatis in eos donis [3], regi gratissimi fiebant, existimationem quoque adepti [4].

Nemo autem Giletum Malet et Johannem de Vaudetar gratia superavit, ambo ab ineunte regno uno eodemque commercio regi conjunctos, pari ferme gradu ad parem fortunam promotos.

Commemoratur anno 1366 Giletus Valleti ministerio fungens, duobus equis dono acceptis, nobiliumque ordini jam forsan additus; qui, anno 1369, ita creverat ut Corbolii turris custodiendæ provinciam acciperet, et eos inter significaretur a quibus pecuniam mutuabatur Carolus [5]. Peculiaris autem huic cura librorum [6], quos tanto amore

1. *Mand.* 629 : Comme Jehan des Portes dit Benedicite, nostre haubergier et varlet de chambre, ait retenu et pris à louage, de nostre commandement, certaines seules en la ville de Roan... pour mettre et herbergier nos armeures que nous avons fait mener en ladite ville de Roan... pour le fait de l'armée de la mer... *Id.*, 676 A ... nostre armeurier a receu pour appareiller, nettayer, et mettre en bon estat nos armeures et harnois estans à Rouen. *Id.*, 865. Froissart, t. VII, p. lxxii. Adde Thevenin « garde de nostre artillerie de nostre chastel du boys de Vinciennes ». *Mand.* 1387.

2. *Mand.* 476 :... Nous... envoions presentement nostre amé vallet de chambre Hannequin Lyon d'Ays à Coloingne sur le Rhin... pour y demourer par aucun temps pour certaines besongnes grosses et secrètes qui bien nous touchent. *Mand.* 1532.

3. *Mand.* 182, 440, 1183, 1428, 1472, 1524. Vide *Testam. Caroli Quinti.*

4. Bibl. nat., *fr.*, 4613, p. 185 : Jehan Lasne, escuyer, valet de chambre du Roy; Douet d'Arcq, *Pièces inédit. du règne de Ch. VI*, t. II, p. 126.

5. *Mand.* 297; Bibl. nat., *lat.*, acq. nov., 184, f° 25.

6. *Mand.* 618 : Item pour II pieces de baudequins en champ azur

diligentissimaque opera collectos, in Luparæ vix refectis ædibus rex concludi jussit, Bibliothecæ nostræ auctor et inchoator. Num de litteris quidquam meruisset Malet, dum ingenii opera, quorum quædam, cum eximia, tum rarissima eo tempore erant, servanda susciperet, ignotum; peritiæ certe diligentiæque laudem tulit, teste repertorio illo, quod anno 1373 conscripsit, nonnullis aliis recognitionibus continuatum [1]. Eumdem et tabulis quibus rex æque ac libris delectabatur operam aliquam adhibuisse mandato quodam significatur. Regis ergo voluntatem magis ac magis sibi conciliabat, seu ille dona magnificentissima largiretur [2], seu in intimis familiaribusque vitæ rebus ei confideret, mulierem pietatis fama insignem, quam Lutetiam acciverat, Gileto ejusque uxori in domum recipiendam commendans [3].

Commoranti Lutetiæ Carolo Imperatori, dum rex quidquid in urbe decorum esset ostendere cuperet, quo majorem

délivrées de nostre commandement à Gilet Malet, nostre vallet de chambre, le X^e^ jour dudit mois de juillet (1369), pour faire couvertures et chemises à livres. — *Mand.* 715 : Pour II alnes de nassis délivrées de nostre commandement à nostre amé valet de chambre Gilet Malet le XXVI^e^ jour de juing, pour faire une courtine aus grans tableaux de nostre chapelle du bois de Vincennes.

1. Boivin, *Inventaire ou catalogue des livres de l'ancienne Bibliothèque du Louvre.* Delisle, *Le Cabinet des Manuscrits,* t. I, pass.

2. *Mand.* 779. *Mand.* 1673 : Jubet Carolus rationibus annumerari 200 francos aureos condonatos « a noz amés vallets de chambre Giles Malet et Jehan de Vaudetar, pour les bons et agréables services qu'ils nous ont fais et font continuelment, et pour eulx vestir a ces Pasques prochaines ». *Mand.* 1578 : En recompensacion de certains joyaux que nostre bien amé vallet de chambre Giles Malet nous donna aux estraines le jour de l'an darrenièrement passé, lesquelx avons miz et retenu devers nous.

3. Christ. de Pisan, III, ch. 23. In *Mand.* 1562 legitur : Cent frans donnez à la bonne femme de la Rochelle. Vide etiam de Gileto Chr. de Pis., III, 21.

potestatis suæ famam faceret, cælataque inter opera emineret industria et materie corona una quam fabricari jusserat, ut ea solemnibus diebus decoraretur, hanc in domo Beauté sur Marne depositam Giletus Malet Johannesque aurifaber, Imperatorem comitati, multa cum ejus admiratione, exhibuerunt [1].

Anno tandem 1380, Castelli Belli Montis ad Isaram custos promotus est [2], trecentis libris turonensium, additis aliis iisdemque non parcis mercedibus, quas paulatim in se cumulaverat. Rex denique, mortis jam proximæ conscius, dum suprema mandata conscriberet, eum primoribus regni, quibus ea exsequenda committebat, adjunxit [3].

Nec tamen Carolo defuncto minus viguit, cui et continuata est Bibliothecæ illius custodia, quam ipse nonnullis donis ditaverat [4], et collatus etiam cum Magisterio Hospitii militiæ honos [5], titulis splendidis mox amplificatus, ita ut parum absit quin amplissimis aulæ viris æquatus fuerit iste a cubiculi cura profectus [6]. Ad hæc vocabantur qui apud regem privata officia subibant.

1. *Gr. Chron.*, t. VI, p. 405.

2. *Mand.* 1896 : Nous, confians du sens, loyaulté et bonne diligence de nostre bien amé varlet de chambre Gilles Malet... icelui avons fait, commis, ordené et establi... chastellain et capitaine de nostre chastel de Beaumont sur Oise... aus gaiges de trois cens livres tournois par an à prendre sur noz aides... non obstant les gaiges qu'il prent de nous à cause da la forest de Rye et hostel de Jangonne.

3. *Mand.* 1956.

4. *Invent. des livres*, n^{os} 203, 209, 669, 670, 801, 805, 867. Vide Delisle, *Cabinet des man. de la Bibl. nat.*, t. I, p. 51-53.

5. *Comptes de l'Hôt.*, p. 239 ; *Nouv. Comptes de l'arg.*, p. 242, 250 ; *Pièces inéd. du règne de Ch. VI*, t. I, n° 83.

6. Delisle, *Collect. Bast. d'Est.*, p. 151 ; *Inscr. de la France*, t. IV, p. 208 : Monseignieur Giles Malet, chevalier, seigneur de Villepescle, conseiller et maistre dostel du roy, chastellain de Pont-Sainte-Maxence, visconte de Corbeil et seignieur de Soisy.

Ad hæc etiam vocatus fuit Johannes de Vaudetar, Gileti socius, cujus quidem avi regibus diu dediti, paterque Philippi Sexti et Caroli Quinti in ministerio fuerat [1]. Ipse, ab anno 1358, Delphino adstrictus [2], Valleti Cameræ munia explebat anno 1367 [3], ejusque commercio adeo utebatur Carolus, ut anno 1371 in quadam pictura ipsi proximus effingeretur [4]; quas in illum largitiones effuderit enumerare supervacaneum [5], quibus additum est concessæ nobilitatis beneficium.

Domesticas curas exceperunt publicæ ad utilitatem regni legationes, annoque 1377, vel cum Johanne Le Mercier, vel cum aliis regis ministris in Normanniam missus fuit ut rebus navalibus invigilaret [6]. Quo suscepto negotio et dignitas aucta et multiplicata in eum dona, concessis denuo annuis sexcentis libris turonensium, quamvis stipendia, ut castelli Luparæ custos et Valletus Cameræ, insuper acciperet [7].

1. Anselme, t. V, p. 225; *Nouv. Comptes de l'arg.*, p. xxix.
2. *Mand.*, p. xi.
3. Bibl. nat., *lat.*, acq. nov., 184, f° 22.
4. Cf. Soc. de l'Hist. de Paris, 1884, p. 269.
5. *Mand.*, passim et p. vii.
6. *Mand.* 1411, 1436 : Nous envoions presentement nostre amé et feal clerc notaire maistre Jehan Gehe à Rouen et ailleurs en la compaignie de nostre amé varlet de chambre Jehan de Valdetar, pour noz besoignes touchant le fait de nostre armée de la mer. *Mand.* 1437, 1445.
7. *Mand.* 1427; De Laborde, *Les ducs de Bourg.*, t. III, p. 466; *Mand.*, 1671 : Cent quarante frans pour un autre orloge et la cloche, que donné avons à nostre amé vallet de chambre Jehan de Vaudetar. *Mand.* 1673, 1737. *Mand.*, p. xi : Consideratione bonorum acceptabilium et fidelium obsequiorum per eum domino regi per spacium XX annorum et amplius tamen predicto officio quam alibi in pluribus negociis impensorum, necnon attentis penis et laboribus per eum sustentis et passis in pluribus longinquis viagiis per eum pro rege factis, commodum et honorem regni tangentibus, non obstantibus certis vadiis

Quod si quis percontatus fuerit cur nec Johannem, nec Giletum, quibus ita familiariter et quasi amice utebatur [1], ad altiorem dignitatis gradum Carolus extulerit, hac mente forsan eum egisse arbitretur, ut homines summa fide probatos eo magis sibi propiores haberet, quod nullis ministerii, in honorarium fere evadentis, negotiis distringebantur. Hi quidem adeo auctoritate valebant, ut capto Jacquet de Rue, regis Navarræ Cambellano, cui crimen objiciebatur Caroli Quinti veneno petiti, in tribunali et Giletus et Johannes sederent, cui præerant et Burellus de la Rivière et Nicolaus Braque, viri scilicet maximi momenti [2].

Quod autem Gileto, id contigit Johanni, ut testamenti curam exsequendi a rege exciperet [3]. Idem Carolo Sexto regnante floruit, Magisterque rationum effectus inter Consiliarios regis cooptatus est [4].

que capit ratione custodie castri Luppere et aliis juribus que capit in curia tanquam valetus camere regis.

1. Vide *Invent.*, n^{os} 525, 2632; confer supra.

2. *Gr. Chron.*, t. VI, p. 420 (item Malet, p. 422).

3. *Mand.* 1956.

4. *Nouv. Comptes de l'arg.*, p. 266; Bibl. de l'Éc. des Ch., t. XXXVI, p. 303. — Vide etiam Soc. de l'Hist. de Paris, ann. 1882, p. 293 et seq., et Bibl. nat., *fr.*, 4614, p. 831 : Ci gist noble homme et sire Jean de Vaudetar en son vivant conseiller du roi nostre sire et maistre de sa Chambre des Comptes.

CONCLUSIO

E supra dictis hæc colligi posse mihi videntur :

1° Maximo apparatu et summo luxu Carolus Quintus, ut de eo primum loquar, vixit, qui domos suas splendide exstruxit et adornavit, virosque plurimos circum se domesticis curis addictos, multiplicatis quorumdam officiorum ministris, adscivit. Inde effusæ sunt latius æquo impensæ, beneficiaque in familiares sine modo sæpe congesta. Inde vero arcessiti et quasi adstricti quicumque in Gallia eximii et insignes erant. Quod si enim implentibus privatum in Hospitio officium adduntur viri plurimi, qui in intima regis familiaritate conversati sunt, nullum fere ex his qui sive ingenio, sive armis, sive dignitate excelluerunt, reperias, qui non Carolo appropinquaverit : hinc episcopos nonnullos, ita ut aula seminarium episcopatus fuisse videatur; illinc litteratos eruditosque, quales fuere Nicolaus ille Oresme, Radulfus de Presles, totque alii; artifices denique. Quo fit ut in Carolo persona regalis vere splendeat et emineat.

Adde tamen peculiare aliquid hic occurrere, Carolumque liberiorem ut videtur vivendi rationem affectasse, qua velut in familiaritatem omnium ordinum magis penetrabat. Nam si eos recenseas qui cum eo quotidiana commercii consuetudine conjungebantur, summos sane

viros, natalibus honorumque amplitudine præcellentes invenies, at simul plures, quos nec genus, nec dignitas supra plebem multum erexerat, burgenses scilicet, nedum extra populum potestas regia, ut postea evenit, sese attolleret.

2° Repetitis autem, ab anno 1261 ad finem quarti decimi sæculi, de Hospitio componendo mandatis, satis significatur illa ætate aliquid novi fuisse institutum, non uno eodemque momento, — quod a temporis usu abhorruisset, — sed iterato tanquam experimento confectum. Animadvertetur tamen scita de Hospitio inter annos 1261-1328 redundare, postea vero, ni fallor, rarescere potius, velut si ineunte sæculo res magis informandæ, finiente magis confirmandæ fuerint.

3° Nihilominus Hospitium penitus immutatum est, ita ut nihil prope anteacti temporis maneat. Nam si de præteritis officiis agitur, aut illa evanuerunt, aut iis nulla fere potestas inhæret quidquam in domo regia administrandi. De Senescallo nulla mentio reperitur, Camerarius vero et Buticularius dignitatis tantum regiæ causa munera gerunt, ornatis titulo ad ostentationem nobilissimis viris, sicut postea gubernatoribus provinciarum continget. Cancellarius autem et Constabularius, militares alter, alter judiciarias partes adepti, ex Hospitio propemodum exierunt, aut in eo nescio qua obsoleti jam pæne moris observantia commemorantur.

Idem de Magistris Requestarum Hospitii dicendum (ut paulo infra descendatur), nonnisi ipso nomine Domui regiæ connexis, quorum etiam jurisdictio, rege ipso concedente, ad Parlamentum gradatim transit [1].

1. Cf. N. Valois, *Inventaire des arrêts du Conseil d'État;* Introduction; Ordonn., t. V, p. 323.

Auctum est contra novis ministris Palatium, aut veteres ministri ex minimis humilibusque ad altiora provecti. In locum Dapiferi successerunt Magistri Hospitii, in lucem quasi prodierunt Cambellani et Scancionarii. Tota his Domus regiæ cura committitur, his adjuvantibus rex vivit. Inter eos nonnullosque alios, de quo dictum est, partes distributæ et cujusque munera ad leges certiores exacta sunt, exemplique causa, secernitur Cubiculum a sex Ministeriis, discrimenque fit inter superiores inferioresque ministros, ut gallice dicitur « les gens de l'Hostel et les gens du commun ». Quod si denuo, perlecta anni 1261 ordinatione, anni 1387 ordinatio evolvetur, in illa pleraque confusa et permixta, in hac quæque loco magis aptata videbuntur.

Quanquam vero ille rerum processus fuerit ut superiores Hospitii ministri quidam, Magnus Scutifer, Magnus Venator, derelicta prope ipsorum negotiorum cura, honorificum modo munus postea affectaverint, aut regibus obsequium potius quam officium præstaverint, in componendæ tamen et constituendæ aulæ ratione nihil ferme jam conversum est.

Ante oculos ergo jam pæne regiam illam Domum habemus, qualis septimo decimo sæculo explicita est, quod testantur conlati duarum ætatum indices, munera Hospitii referentes, in quibus adeo frequentia occurrunt eadem officia iisdem etiam titulis designata, ut tria sæcula intercidisse vix credas [1]. Si qui autem tituli recentiore tempore usitati nondum quarto decimo sæculo adhibeantur, iidem vix nascente quindecimo sæculo, apparent, ita ut antea non res ipsæ, sed nomina modo quibus designarentur defuerint.

1. Cf. Arch., O[1] 751-755. Le Grand d'Aussy, *Vie privée des Français*, t. III.

4° Nec tantum Domus regia, sed etiam ipsa aula in eo est ut oriatur : nam ædes illæ magnificæ, Luparæ Castellum et Sancti Pauli Hospitium, habita temporum ratione, non inepte, non dicam Ludovici XIV ædibus, sed domibus illis quas ad Ligerim exstructas et Franciscus I et aulici frequentavere, æquiparentur, in quibus rex non tam habitat quam regale munus exercet; dumque regis Hospitio adjicitur reginæ Domus cum mulierum corona, ubi jam mollitudo et elegantia quædam humanitatis fovetur, principesque aut illustrissimi viri excipiuntur in palatium [1], quid deest ut ea jam ætate aulæ nomen recte usurpetur? Quin etiam, et usurpatur, et ejus, ut ita dicam, regionis mores habitusque, non sine acumine, a scriptoribus Caroli æqualibus passim observantur notanturque [2], ita ut materiem tentasse hi videantur, quam plurimi septimi decimi sæculi scriptores sæpissime tractaverunt.

Quod si ergo a Francisco Primo aula instituta dictitetur, in hac omnia potius renovata quam nova erant. Cum enim, incipiente quindecimo sæculo, Gallia nostra bello et discordiis civilibus adeo laboraverit ut vix regnum, imo etiam patria vix fuerit, non solum his malis fractæ vires, adductæque in summum discrimen, sed interruptus rerum tenor, et in colliganda temporum ratione abruptum aliquid et scissum deprehenditur. Quæ quidem vel in publicis negotiis, vel in iis quæ ad culturam ingeniorum [3]

1. *Chron. des quatre prem. Val.*, p. 264, 265; *Gr. Chr.*, t. VI, p. 371 et seq., FROISSART, pass., etc.

2. *Eust. Desch.*, t. II, p. 30, 44, 80, 108 et passim. Inest aliquando nescio qua dicacitas, ut in illis versibus :

> Dont, quant à moy, je tien que c'est grant sens
> D'avoir à court un pié hors et l'autre ens.

3. Vide THOMAS, *de Joannis de Monsterolio vita et operibus;* L. COURAJOD, *Les origines de la Renaissance aux* XIV^e^ *et* XV^e^ *siècles* (Leçon

spectant hodie jam intelliguntur : artes ingenuas, exempli causa, ad nova deflexisse sub primos quindecimi sæculi annos, seu sponte sua, seu ducibus Antiquorum aut externorum populorum operibus, postea vero cessavisse et quasi intabuisse, ita ut Italia semper progrediente, Gallia sedecimo tandem sæculo, totius sæculi laborem præcipiti quasi cura sibi accommodaverit.

Idem de Hospitio proferam, cum Franciscus I, cui et majores opes, et indoles ad magnificentiam pronior erat, centum annis præscriptum Caroli Quinti opus redintegravit. Quemadmodum autem hodiernum Luparæ ædificium priorum ædium a Carolo Quinto exstructarum fundamentis nunc etiam innititur, aula ipsa adeo illustris, in qua Ludovicus XIV degit, Domo regia Caroli Quinti jam quasi continebatur.

5° Quod si a privatis ad publica transeamus, Hospitium a communium rerum administratione disjunctum est, adeo ut magis ac magis privilegia illa imminuantur quæ antiquas dignitates insigniebant. Notabitur tamen aliqua etiam superesse præteritæ ætatis vestigia : certis officiis ipso jure adhærere munus quoddam publicum congruens ; adjungi summis ministris jurisdictionem quæ officii regalis quasi imaginem exprimit ; ad id etiam reges inclinare ut quædam munia publica a privatis deflectant. Quod vero cum supra dictis discrepare ne quis arguerit. Exceptis enim privilegiis ipsis quibus quidem reges reluctantur [1], litem hoc dirimit quod nunquam vel ministro cuique, vel primatibus ipsis munus in Domo regia explentibus negotia regni administranda permissa sunt, nisi intercedente pecu-

d'ouverture du cours sur l'histoire de la sculpture française) in *Revue des arts décoratifs*, 15 mars 1887.

1. Vide supra, cap. II, § 6, 7 ; cap. III, § 2, etc.

liari mandato, quod ad voluntatem, ad nutum etiam revocabatur. Neque inde credas id renovatum fuisse, quod regnantibus primis Capetiis evenerat, scilicet ut domestici ministri, nimium sibi assumentes et regibus adversantes, eorum juri derogare tentaverint, quibus multo magis manum obsequentissime commodaverunt. Imo, progrediente tempore, illud in morem vertit ut ministri Domus regiæ pompæ et superbiæ regali ante omnia inservirent.

Regnante tamen Carolo Quinto, demonstrant ea quæ antea dicta sunt, multaque alia quæ extra dubium posita in testimonium afferre liceret, agentes in Hospitio ministros plurimum valuisse in negotiis illis, tum multiplicibus, tum gravissimis, quæ rex tractavit, multosque ex his qui rebus publicis se immiscuerunt intra Hospitium vixisse [1].

Cum vero, ea ætate, res publicæ non arctis finibus terminarentur, sed plerumque inter se communicarent, quisque belli pacisque partes aut vicissim aut simul adibat, sive de armis capessendis, sive de fisco administrando, sive etiam de legationibus externis suscipiendis ageretur, ut in Burello de la Rivière, Johanne Le Mercier, Stephano du Moustier, et in Hostiariorum aut Servientium armorum pæne innumerabili grege animadversum est.

Meminerimus tamen duas forsan vias agendi fuisse, hinc enim Hospitii famulis publicum munus traditum fuisse, illinc contra titulum jam fungentibus munere publico condonatum, cujus gratia Hospitio adjuncti potiusquam addicti, honorem et dignitatem participarent.

Plurimum illud Carolo profecisse nemo negabit, qui ea ratione præ manu haberet ministrorum copiam, et mobi-

1. Cf. Vuitry, *Études sur le régime financier de la France.*

lium et ad usum habilium, et quibus fidem summam haberi licebat, utpote qui arctissimis vinculis regi adstringerentur, quos missis dominicis fere comparaverim. Si quæ ergo agendi necessitas instaret, aut arcani aliquid impenderet, familiarium quemdam Carolus delegabat.

Quo effecto, extendebatur late auctoritas, vis agendi multiplicabatur, duplicatis ad administrandum instrumentis, aut novis, vel ad res tractandas, vel ad experimentum etiam creatis. Adde postremo per delegatos illos viros undique insinuasse, ut ita dicam, intima consilia, cogitationemque regis, dum quoque de agentibus longinque ministris hoc modo inquireretur. Nec pertimescenda aulicorum potestas aut contumacia, qui plerique neque natu, neque gentis fama, neque opibus, nec clientela adeo valebant, ceterum ad officium in Hospitio explendum, et quasi ad manum regis, sæpe reducebantur. In hoc instituto non mediocrem hujus regni rationem sitam fuisse affirmare ausim.

Num vero his omnibus adjuvantibus processerit potestas regia aut medii ordinis auctoritas lectori dijudicandum relinquo.

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. VII. Idus febr. anni MDCCCLXXXVII,
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,
A. Himly.

Typis mandetur.
Academiæ Parisiensis Rector,
Gréard.

INDEX

CAPUT PRIMUM

DE HOSPITII HISTORIA ANTE CAROLI QUINTI ÆTATEM

CAPUT II

QUÆ ORDINATIO HOSPITII FUERIT, CAROLO QUINTO REGNANTE

CAPUT III

DE CUBICULO REGIS

Coulommiers. — Typogr. P. BRODARD et GALLOIS.

Coulommiers. — Imp. P. BRODARD et GALLOIS.